SCHARANDÇO

MODVS
& RATIO

1670

Af xxxvi 46902/A
7/s

1679

J. COMPAIN

IOANNIS IACOBI SCHARANDÆI,
Solodorenſis,
Philoſophi, & Medici,

42550

MODVS & RATIO Viſendi ægros.



SOLODORI,
Sumptibus Ioannis Iacobi Bernardi:
Per Petrum Ioſephum Bernardum.
clↄ Iↄ C LXX.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Reuerendiſſimo & Ampliſſimo
D. IOANNI GEORGIO,
Laudatiſſimi Cœnobij
BELLELAGIENSIS,
Ordinis Præmonſtratenſis,
Meritiſſimo
PRÆSVLI,
Domino colendisſimo,
IOANNES IACOBVS SCHARANDÆVS,
F. P.

QVamuis ea ſit mea in Te obſeruantia, idque ſtudium & amor, ampliſſime Præſul, vt dici vix poſſit, occaſio tamen eam ſignificandi hactenus defuit. Nunc vero

modica quidem ſeſe offert, ſed adeo pauxilla, vt demirer, cur apprehendere iſtam non erubeſcam. Siquidem planum ſit, quod ſi quis vult ſummum aliquem virum demereri, officium condignum ſit merito. Audeo nihilominus, R^mam. D. T. accedere, Tibiq; munuſculum quoddam & inſulſam ſcriptionem, opuſculum nempe medicum tradere, & dedicare. Miraberis audaciam conſecrantis, & leuitatem tam exigui operis, eo quod thema hoc homi-
nem

nem religioſiſſimum non deceat, & ſi deceret, pro perſona tam venerabili nimis exoticum, religioſos enim religioſa decent non medica. Sed quoniam vnuſquiſq; pro, vt poteſt, diuino Numini donaria offert, qualis tandem conditionis oblator ſit, licebit mihi procul dubio Te pro meo modulo venerari. Quocirca, vt Artaxerxes rex non tam magnanimus quam manſuetus, malum punicum ab Omiſo oblatum alacriter accepit, ab operario quodam,

dam, cum nihil aliud haberet, aquam è fluuio manibus hauſtam non recuſauit, ſed auream pateram illi homini dono miſit: ita opuſculum hoc pro tua humanitate æquo benignoque animo ſuſcipies. Tuam vero ætatem, & ſenium, quod medici tardare non poſſunt, Deus ter maximus diutius protrahat, & inconcuſſum conſeruet.

IOANNIS IACOBI SCHARANDÆI,
Solodorenſis,
Philoſophi & Medici,

In Modum & Rationem Viſendi ægros,

PROOEMIVM.

PRæclarum illud eſt, quod apud Tullium dicitur, hominem non ſibi ſolum, ſed & Patriæ, ceteriſque mortalibus, naſci, vt bono vniuerſi major cumulus accedat: ſiquidem præclarius illo non quidquam datur, qui vſibus humanis prodeſt, cum ſic ſolum lis & amicitia, quæ vniuerſi anima ſunt, comparetur, pereunte alias optabili mortalium conſortio, niſi quæcunque conſociabilia ad bonum vniuerſi conſpirent. Ij itaque præ reliquis mortalibus magis prodeſſe, rebuſque humanis felicius proſpicere

 vide-

videbuntur, qui ea docent, quæ vitæ, ſanitatique humanæ proſunt, cum ceterarum rerum vana cura reſultet, ſi hiſce duobus ſuſtentaculis diligenter non attendatur. Vnde facile colliges, maiorem curam diligentiamque rerum humanarum penes medicos eſſe oportere, qui cum Ioue vitæ & mortis ſe pares dicunt eſſe arbitros. Hæc vero medicorum diligentia potiſſimum circa ægros verſatur, quos niſi iuuerint, non prodeſſe generi humano, ſed obeſſe videbuntur. Quare, vt iuniores medici vtilitati magis mortalibus quam damno ſint, de modo viſendi & tractandi ægros ſcribere tentaui, breuiter quidem, & ſine fuco: iſta enim in ſcholis non tractantur, ſudantibus ad hoc ſolum Doctoribus, vt Scholaſtici ineptis inutilibuſque quæſtiunculis imbuti puluerem ſatis craſſum diſceptando ſtrependoque excitent, quem
ipſi

ipſi Magiſtri in pulpitis affatim hauriant. Neque enim ſufficit, enarrare ad vnguem quot ſint morbi, quot cauſæ, quot febres, aut quid aliud, quod quidem ſit ſcitu neceſſarium; ſed ſciendum etiam eſt, quid agendum, quid jubendum, quid vetandum, quid conſulendum infirmo, qui, quia præ dolore labaſcit opem tuam implorat. Sciendum, inquam, quomodo ei ſuccurrendum ſit. Tum ſane omnem ſcientiam, omnia medicinæ præcepta in memoriam reuoces, vt plenus judicii, immutatæque conſtantiæ felicius ægrum tractes, ſanitatique reſtituas: vt vulpes illa aſtutior, quæ, cum ſalus anguſti or foret, ne à canibus caperetur, veteres technas inſidiaſque conquiſiuit, vt ſi quæ fruſtra promererentur, ex reliquis vna ſaltem miſeram perditamque ſeruaret. Res ardua videbitur, jocunde lector, velle medicos hoc æuo doce-

re, quibus nil minus cordi eſt, quam eruditio: *niſi enim*, ait Galenus, *magna quæpiam miraq; mutatio humanarum rerum fiat, actum eſt de bonis ſtudijs, vtpote confuſis ac corruptis, nemine veritatem ipſam, ſed tantum ſcientiæ famam quærente.* Audebo tamen, alias

Quid didiciſſe, niſi hoc fermentum, & quæ ſemel intus
Innata eſt, rupto jecore, exierit caprificus?

præcepta itaque quædam facilima ex Hippocratis Aphoriſmis collata, tum ab experientia probata tradam; quæ, licet ſint vulgaria, ſunt tamen neceſſaria. dicentur conditiones requiſitæ in medico, de modo interrogandi ægros & aſſiſtentes, aliaque docebuntur, quibus & ſanitas ægro, & medico gloria comparabitur. quod ſi fruſtra laborarim, hoc ſaltem effecero, anſam tibi dedero meliora & cogitandi, & ſcribendi, adde quod etiam non aſſecutis voluiſſe abunde

pulchrum

pulchrum atque magnificum eſt. Si vero pagina noſtra tibi quid vtile dictet, æquo benignoque animo ſuſcipe, ſiquid honorificum ſonet, aures animumque aduerte: ſiquid peccet, errantem corrige: & ſi inter vtrumque conſiſtat, non ei liue, qui enim liuet non corrigit, ſed ſibi ipſi malus eſt: ſi cuncta abſurda ſint, ea authori redde, & ſine viuat ineptus. Vale.

De Neceſſitate Medici,

CAPVT I.

INutiles eſſe medicos, imo damnoſos, non dico non neceſſarios, jam olim à Rep. Rom. comprobatum eſt, quæ hos non ſolum Vrbe, ſed & tota Italia exterminauit. vt Protagoras Abderites, maximus alias Sophiſtes, cum in principio libri ſic poſuiſſet de Diis: *Neque vt ſint, neq; vt non ſint, nihil habeo dicere*, Athenienſium juſſu vrbe atque agro eſt exterminatus, librique eius in Concione combuſti. Si enim neceſſarij fuiſſent humano generi, aut prodeſſe potuiſſent, ſeruaſſent, aduocaſſent, non abegiſſent medicos teſtimonium manifeſtum, medicos non eſſe neceſſarios. Damnoſos vero ſemper extitiſſe vndiquaque patet. Quot periere olim, nuncque pereunt per inſcitiam medicorum, qui nullo errore commiſſo à natura potuiſſent ſoſpitati reſtitui? vt præclare dixerit Menander, *multitudine medicorum perij*. Tum Sidonius de ignaris medicis: *multi medici aßiſtentes & dißidentes, parum docti, & ſatis ſeduli,*

languidos multos officioſiſſime occidunt. Egregiè Pauſanias Pliſtonactis filius operam medicorum contempſit: medico enim ipſum viſitanti ac dicenti: *nihil habes mali*, retulit: *quia te medico non vtor id fit.* amicō reprehendenti ipſum, quod cuidam medico malediceret, non expertus ipſum, neque paſſus quidquam, *ſi*, inquit, *eum expertus eſſem, non viuerem.* & dicenti medico: *Senex es factus*: *quia*, inquit, *te non adhibui medicum.* adeo vt bene reſponderit æger medico cum gallina apud Æſopum: illa enim feli percontanti ficta beneuolentia, *quomodo valeret?* reſpondit: *bene, ſi tu diſcedas.* ſane ſatius eſt, ſeſe naturæ committere, quam inter infinitas medicorum purgationes putreſcere. *Fraudes hominum, & ingeniorum capturæ officinas inuenere iſtas, in quibus ſua cuiq; homini venalis promittitur vita. Statim compoſitiones & mixturæ inexplicabiles decantantur. Arabia atq; India in medio æſtimantur, vlceriq; paruo medicina à rubro mari imputatur, cum remedia vera quotidie pauperrimus quiſq; canet. nam ſi ex horto petantur, aut herba aut frutex quæratur, nulla artium vilior fiat. paremus externis, & vna artium impera-*

toribus quoq; imperat. vt nemo deſit, cui medicina non imponat. Pollio Romulus, Augusti Cæſaris hoſpes, non turba medicorum, nec pharmaciis aliis vſus, quam intus mulſo, foris oleo, vigorem corporis animique centum annis cuſtodiuit. *Non fecit cerata, malagmata, emplaſtra, collyria, antidota, parens illa ac diuina rerum artifex, officinarum hæc, imo verius auaritiæ commenta ſunt. Naturæ quidem opera abſoluta atque perfecta gignuntur: paucis ex cauſa non ex conjectura rebus aſſumptis, vt ſucco aliquo ſicca temperentur ad meatus, aut corpore alio humentia ad nexus. Scrupulatim quidem colligere ac miſcere vires, non conjecturæ humanæ opus ſed impudentiæ eſt.* Nempe vero exiſtimant medici, viciſsitudinem morborum, fatumque vniuerſi, & mortem ipſam cum ſuis compoſitionibus, nimis quam auſteris diætis, balneationibus, aliiſque rebus factu moleſtiſſimis tolli poſſe?

Quidquid patimur, mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto:
Seruatque ſuæ decreta colus
Lacheſis: dura reuoluta manu
Omnia certo tramite vadunt.

It cuique ratus, prece non vlla
Mobilis, ordo. multis ipſum
Timuiſſe nocet. multi adfatum
Venere ſuum, dum fata timent.

Vbique terrarum fuerunt febres, cuiuſcunque nominis, fuerunt peſtes, vlcera, abſceſſus; fuerunt podagræ, lichenes; fuerunt apoplexiæ, paralyſes; fuit phrænitis, fuit ſurditas, cæcitas; fuit Phthiſis, fuit hydrops. hæc omnia poſtmodum erunt, non plura, aut pejora. Sanauit hæc natura, quamuis quædam reſpuerit; ſanabit item & reſpuet. Si enim vires indidit herbis, monſtrauit etiam eas homini, ne fruſtra exareſcerent, & vt ſeſe à morborum vi extricaret. Homini inſuper, vitæque, & morti terminum addidit, cui medicus obſiſtere non poſsit, & tales fixit leges, quas reſcindere nemo audeat. Vnde optime Æſchylus:

Neq; multa vir qui vulnera percipit
Moritur, niſi vitæ concurrat terminus.
Neq; ad focum quis deſidens domi ſuum
Fatale vitat eo magis infortunium.

Ad quid ergo in morbis adhibentur medidici? vt ægro ſit pejus, medico vero volupe, dum ægrum multis modis plectit, &

pecuniarum loculos emungit. Hæc nempe eſt medicorum neceſsitas.

Reſpondere his objectionibus, jocunde lector, clamante & oppugnante plebe arduum videbitur, erudito autem medico dicente facilimum. Ejectos fuiſſe tota Italia medicos ſcimus cum philoſophis & poëtis, propter Græculos Sicophantas, qui eruditos medicos & numero & malitia ſuperabant. quare periti medici pari infortunio vſi ſunt, vt cum ignaris ejicerentur. Caro, morum prauorum maſtix, iuſsit quidem omnes abigi, non vt medicos, ſed vt ſanitatis corruptores. quot enim erant medici, tot ſectæ & modi curandi, adeo vt ex ingenti medicorum contrarietate tandem recta deprauata fuerit medicina. Vnde hæc mala ſeges non erat neceſſaria, ſed neceſſario ejicienda. Medicina non propter ſe eſt damnoſa, ſed propter eorum, qui eam exercent, ignorantiam, eorumque qui temere de re medica iudicant. Tales Tragœdiarum perſonis ſimiles videntur: *quemadmodum enim illi quidem formam, habitum, & perſonam hiſtrionis referunt, neque tamen hiſtriones ſunt: ſic & medici nomine quidem multi, re*

ipſa

ipſa perpauci. Ideo iſtos nomine medicos non ſolum non neceſſarios, ſed per quam damnoſos judico. tum Empiricos, quique vim ingentem ſecretorum venalem circumferunt: dein neſcio quos deſtillatores, qui ſpreta omni methodo medica nouam quaſi rabiem ſuæ artis addiſcendæ in populares, imo in viros alias ſatis graues & eruditos indunt, inſpirantque. His addi poſſunt famuli noſtri, medicamentarios dico, & chirurgos, qui ſæpe numero temeritate & contumacia potius, quam ratione & ſcientia ducti præſcriptiones medicorum aut adulterant, aut omnino corrumpunt. Verum noſtra culpa hæc accidere notum eſt, atque ſeruos heris impune inſultare palam fit cum omnium noſtrum infamia. Siquidem jam non ſatis eſt, nos ab his quotidie corrigi, ſed & molles aditus, commoda tempora obſeruanda ſunt, quibus iſtius modi homines adiri atque ambiri poſsint; medici enim officinariis & tonſoribus, imo & obſtetricibus ſubuerſa ratione, ſeſe etiam atq; etiam commendant, quaſi Iouem de ſecunda fortuna precarentur. Sit, quandoq; curam ſatis nobilem egerint, hanc ſane non arte ſua, aut

doctrina, ſed forte obueniſſe credendum eſt: ſpongia enim irati pictoris in tabulam projecta, etiam eo inuito, ſpumam in ore equi, eumque anhelantem expreſsit. ſic, inquam; natura per ſe ſatis idonea fuerat, licet medicamentarius, aut tonſor non accurriſſent. itaque repeto: iſtos nomine medicos, non ſolum non neceſſarios, ſed perquam damnoſos judico. His adde illos, *qui ægris maxime adulantur, qui & frigidam dabunt, ſi hanc poſcent, & lauabunt cum juſſerint, & niuem vinumq; porrigent: poſtremo quicquid jubebitur, mancipiorum ritu efficient; contra plane quam veteres illi medici ab Æſculapio oriundi, qui tanquam duces militibus & reges ſubditis imperare ægris voluerunt nequaquam vero Getarum, & Tibiorum, & Phrygum, & Thracum emptitiorum ritu parere atq; obſequi. Itaq; is non qui melius artem callet, ſed qui adulari aptius nouit, magis in pretio eſt, huicq; omnia plana perviaq; ſunt, huic ædium fores patent. hic breui efficitur diues, plurimumque poteſt.*

Ad varia medicamentorum genera, quæ inutilia, quæque ab auaritia inuenta creduntur, reſpondet Seneca: *Medicina quondam*

paucarum

paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent. paulatim deinde in hanc peruenit tam multiplicem varietatem. nec eſt mirum, tunc illam minus negotij habuiſſe, firmis adhuc ſolidiſq; corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemq; corrupto. qui poſtquam cœpit, non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quæri, & inuentæ ſunt mille conditura, quibus auiditas excitaretur, quæ deſyderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis. Inde pallor, & neruorum vino madentium tremor & miſerabilior ex cruditatibus, quam ex fame macies. Inde incerti labentium pedes, & ſemper qualis in ipſa ebrietate titubatio. Inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentuſq; venter, dum male aſſueſcit plus capere quam poterat. Inde ſuffuſio lurida bilis, & decolor vultus, tabeſq; in ſe putreſcentium, & retorti digiti articulis obrigeſcentibus, neruorum ſine ſenſu jacentium torpor, aut palpitatio corporum ſine intermiſſione vibrantium. quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumq; tormenta? & cerebri exæſtuantis verminationes, & omnia per quæ exoneramur internis vlceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu ſubeuntium, aliarum tenui peſte repentina, alia-

rum cum horrore, & multa membrorum quaſſatione venientium. quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriæ? Immunes erant ab iſtis malis, qui nondum ſe delitiis ſoluerant, qui ſibi imperabant, ſibi miniſtrabant, corpora opere ac vero labore durabant aut curſu defatigati, aut venatu. excipiebat illos cibus, qui niſi eſurientibus placere non poterat. Itaq; nihil opus erat tam magna medicorum ſupellectile, nec tot ferramentis atq; pixidibus. Simplex erat ex ſimplici cauſa valitudo, multos morbos multa fecerunt. neceſſe eſt itaq; inter ſe tam diuerſa diſſideant, & hauſta male digerantur aliis alio intentis. nec mirum quod inconſtans variuſq; ex diſcordi cibo morbus eſt, & illa ex contrariis naturæ partibus in eundem compulſa redundat. inde tam nullo genere ægrotamus quam viuimus. Antiqui medici neſciebant dare cibum ſæpius, & vino fulcire venas cadentes, neſciebant ſanguinem emittere, & diutinam ægrotationem balneo ſudoribuſq; laxare. Neſciebant crurium vincula, brachiorumq; latentem vim & in medio ſedentem ad extrema reuocare. Non erat neceſſe circumſpicere multa auxiliorum genera, cum eſſent periculorum pauciſſima. Nunc vero quam longe proceſſerunt mala valitudinis? has vſuras

voluptatum

voluptatum pendimus, vltra modum faſq; concupiſcentiarum. Innumerabiles eſſe morbos non miraberis, coquos numera. Pergit alibi: *Plenis & infeſta varijs caſibus vita eſt, à quibus nulli longa pax, vix induciæ ſunt. Nihil eſt tam fallax quam vita humana, nihil tam inſidioſum: non me hercle quiſquã accepiſſet, niſi daretur inſcijs.* vnde veriſsimè dixit Plinius: *Natura nihil hominibus breuitate vitæ præſtitit melius.* Vide itaque, jocunde lector, vtrum auaritia, an vero luxuria tot medicamenta inuenerit: dices vtique, illecebras, non medicos expellendos eſſe. imo talibus paſcuntur medici, dum operi medendo vix ſufficiunt, apud innumerabilem luxuriantium gregem. Ergo hoc ipſo medici redduntur neceſſarij, dum mortales temperiei ſanitatiſque obliuiſcuntur, vt ſaltem ingluuiei, ſi non morbis obſtent. quam egregie Plinius! *Negliguntur ea,* inquit, *quæ ad valetudinem conſeruandam, cruciatuſq; corporis propulſandos, & mortem arcendam pertinent. quis ergo non mores juſte caſtiget? addidere viuendi pretio delitiæ luxuſque. nunquam fuit cupido vitæ major, nec minor cura, aliorum hanc operæ credimus, ac ne mandato quidem noſtro alios id agere, mediciſque prouiſum*

eſſe

eſſe: proh, bonis ipſi fruimur voluptatis, & quo nihil quidem probroſius duco, viuimus aliena fiducia. Hippocrates addit: *Qui intelligentia valet, is bene ſubducta ratione ſecum reputare debet, quam plurimum æſtimanda ſit ſanitas, & ex vtilitate ſui conſilij fructum in morbis recte percipere.*

Si itaque ſanitas tanta res eſt, vt pretioſior dari non poſsit, neceſſario opus habebit vno quodam velut œconomo, qui ei prouideat. ergo huic rei neceſſarij erunt medici. qui autem? qui liberalibus diſciplinis dediti artem à prima ætate exercuerunt, viri probi, periti, præſtantes. cum enim medicina ab Hippocrate omnium artiũ præclariſsima dicatur, non omnibus licet eam contaminare, ſed viri docti & inſignes hanc tractare debent. *Res ſacræ ſacris hominibus communicantur: profanis id fas non eſt, priuſquam ſcientiæ Orgiis initientur.* Præclare de medicina Plutarchus: *Medicina*, inquit, *de reliquis liberalibus artibus nulli nitore, copia, jucunditateq; cedens, ſui ſtudioſis præmium ſpectandi porro largitur incolumitatem corporis, atq; ſanitatem.* Cicero: *mirari licet, quæ ſint animaduerſa à medicis herbarum genera, quæ radicum, ad morſus beſtia-*

rum,

rum, ad oculorum morbos, ad vulnera. quorum vim atque naturam ratio nunquam explicauit: vtilitate & ars eſt, & inuentor probatus. Cyrus ille Perſarum rex dignitatem neceſsitatemque medicorum, ſelectumque cognouit: optimos enim ad ſeſe accerſiuit, vt cum his loqueretur: & quæcunque inſtrumenta vtilia eſſe dixiſſet aliquis eorum, vel venena, vel eſculenta, vel potulenta, omnia parata ſeruabat apud ſeſe: conſiderabat etiam quando quis eorum ægrotaret, quod eſſet curandi tempus, præbebatque omnia quibus opus eſſent. habebat etiam medicis gratiam, cum quis ſanaſſet quempiam eorum, quos ad [illegible] ſanandos accepiſſent.

Timor vero metuſque mortis, ſi nihil aliud, medicos deberent reddere neceſſarios, cum omnes mortem nimis quam timeant, minus tamen morti caueant. *Et ridiculi ſumus,* ait Plutarchus, *qui vnam metuamus mortem, toties jam mortui, toties morientes. non enim tantum, vt Heracletus dicebat, ignis mors aëri eſt ortus, & aëris mors aquæ ortus, ſed multo hoc euidentius in ipſis hominibus animaduertas. Interit vir facto ſene, & vir factus erat intereunte juuene, hic puero, hic infante,*

te, & qui heri fuit mortuus eſt orto hodierno, hodiernus in craſtinum deſinit. nullus autem manet neq; eſt vnus, ſed naſcimur multi, materia circa vnum ſimulachrum & exemplar quoddam expreſſum circumagitata atq; labaſcente. Timorem internum Plato declarat maxume: *Certo ſcias, quod poſtquam eo deuenit aliquis, vt breui jam moriturum ſe opinetur, incidit in eum timor, & cura quadam eorum, quæ in ſuperiori vita neglexit. Etenim fabulæ, quæ de inferis dicuntur, quemadmodum eos, qui iniuſte egerunt, pœnas illic dare oporteat, irriſæ hactenus, mouent tunc animum, ne forte vera ſint ſuſpicantem: atq; ipſe ſiue propter ſenectutis debilitatem, ſeu quod alteri vitæ ſit propinquior, illa acutius inſpicit, ſolicitudinis & timoris plenus redditur, atque reputat, examinatque, ſiquem iniuria aliqua affecerit. qui ergo inuenerit multas eius in vita iniquitates, ex ipſo ſomno tanquam pueri frequenter excitus extimeſcit, & peſſima in ſpe viuit, qui autem nullius iniuria ſibi conſcius eſt, huic jucunda ſpes ſemper adeſt, optima ſenectutis nutrix.* Sed vt tandem finiam, hac de re vltima & conſtans pronuntiatio eſto: *Eruditos, probos, peritos medicos eſſe neceſſarios, iſtos vero nomine medicos neceſſario ejiciendos.*

De

De Doctrina Medici,

CAPVT II.

IAm in principio operis ſudare incipimus, jocunde lector, virorum optime, dubij, vtrum hanc molem exantlemus. quemadmodum enim fons & radix virtutis atque honeſtatis vitæ, eſt inſtitutio proba, &c,

Niſi fundamenta ſtirpis jacta ſunt probe,
Miſeros neceſſe eſt eſſe deinceps poſteros:

ita in re medica, niſi quis multis ſcientiis ſit inſtructus, & principiorum artis ſit ignarus, neceſſe eſt eum in abſurdiſsimos errores labi, & per ſuam ignorantiam multos interire. homini vero, qui prudens ſit & diligens, & mente exercitatus, ipſa rerum natura quid agendum ſit ſuggerit. quomodo autẽ luxatæ baſi ædificiũ ſuperſtruemus, ſi nimirum junior medicus rerum ignarus, docendorũ incapax, ea quæ hactenus dicenda ſunt, aut non capiat, aut faſtidiat? præcipue, cum hoc æuo qui docet dedoceat? priſca reſpuunt, media faſtidiunt, noua ludunt. difficultates timent, artem vita longiorẽ horrent, perplexa diſcere dubitant, adeo vt memores dicti Theophraſti in ſcientiis addiſcendis animo deſpondeant. Ille enim mo-

riens accuſaſſe naturam dicitur, *quod coruis & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet, hominibus, quorum maxime interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet: quorum ſi ætas potuiſſet eſſe longinquior, futurum fuiſſe, vt omnibus perfectis artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur. querebatur enim, tum cum quædam videre cæpiſſet, extingui.* Quamuis arduum ſit, & multus labor requiratur ad ſcientias acquirendas, non deſiſtam tamen, etſi *friuoli operis arguamur iſta commentantes,* quin mentem meam de ſcientiis medico neceſſariis explicem.

Si quis egregius medicus futurus eſt, *natura opus* [illegible] Hipp[illegible] *que* [illegible] *nante irrita ſunt omnia, eadem vero ad optimum quodq; viam commonſtrante artis doctrina paratur: quam ex inſtitutione à puero, in loco ad diſciplinam probe à natura commodato, cum prudentia ſibi comparare oportet. ad hæc longi temporis induſtriam accedere neceſſe eſt, quo diſciplina veluti grauidata feliciter & bene creſcendo maturos fructus efferat.* Hanc vero naturam *inclinationem* vulgo appellant, tanquam medicus ex inſtinctu quodam naturali ad artem addiſcendam feratur. ſi itaque hæc deſit,

culpantur

culpantur fruſtra calami, immeritusq́; laborat iratis natus paries Diis atq; poëtis, inquit Horatius. Vt ſunt ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret: nunc autem ſimul atque editi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuo prauitate, & in ſumma opinionum peruerſitate verſamur: vt pene cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur: ita ſcientiarum & artium quibuſdam appetitus innatus eſt, vt ad hanc vel illã ſcientiam aut artem neceſſario natum affirmes, ducente clanculum ad innata ingenio. verum quandoque ex prauitate ingenii à propria natura atque ab eius inſtinctu, tum à virtute deſciſcimus, quo minus naturam ad recta ductricem voluntarij vltro ſequamur. Marſilius Ficinus in hanc rem ita recte loquitur: *Ad hoc ipſum, præ cæteris, & natura factus, quod primum à teneris annis agis, loqueris, fingis, optas, ſomnias, imitaris, quod tentas frequentius, quod facilius peragis, quo ſummopere perficis, quo præcæteris delectaris, quod relinquis inuitus, hoc eſt ſane, ad quod te cælum, rectorq́; cæli genuit.* Optemus ergo bonam naturam, id eſt, bonam mentem, quam ſi adepti fuerimus,

rimus, facile id, ad quod nati ſumus, addiſcemus cum conſideratio contemplatioq; naturæ ſit animorum, ingeniorumque quoddam quaſi pabulum: tum indagatio ipſa rerum tum maximarum, tum etiam occultiſsimarum habet oblectationem.

Per locum quem ad diſciplinas accommodatum requirit Hippocrates, Academias ſeu ſcholas nobiliores, vbi ſcientiæ & artes liberales docentur, intelligunt Eas omnes in vrbibus amœnioribus, ſalubrique äëri expoſitis, annonaque facili conſtitutas ſcimus, vt victus ratio puriorque aër ingenium noſtrum reddant lucidius, ſubtiliuſque; quanquam

—————— experientia monſtret,
Multos poſſe viros & magna exempla daturos,
Veruecum in patria, craſſoq; ſub äëre naſci.

Ibi ſtudere oportet non ſcurrilitatibus, non ineptiis, non diſceptationibus friuolis, non lanæ caprinæ, vt aiunt, non libidini, non aleæ, non rebus ludicris, ſed ſeriis, diſciplinis ad artem medicam aptis, moribus honeſtis, vitæque probæ conducentibus: adeſſe item viris doctioribus; vigiliis, lucubrationibus, aſsiduo labore non frangi; do-

cilem,

cilem, aſsiduumque ſeſe præſtare, ne ſcholæ cum ſcamnis ægre te patiantur. multa ſunt quæ diligentiſsimorum animum à ſtudiis, ab inueſtigatione veri auertunt: *Impedimenta enim pene innumerabilia corpus ipſum prabet*, inquit Plato, *propter neceſſariam eius alimoniam. præterea morbi nobis hinc incidentes, inveſtigationem veritatis impediunt. amoribus, cupiditatibus, timoribus, multiplicibuſq́; imaginibus, multis deniq́; nugis nos implet; vt veriſsime dicatur nihil penſi vnquam, ac veri nobis afferre. nam ad bella, ad ſeditiones, ad pugnas nihil aliud quam corpus multiplex, eiusq́; cupiditas impellit. omnia enim pecuniarum gratia fiunt. pecunias autem quærere cogimur corporis gratia, vſui eius inſeruientes. atq́; ita fit, vt propter hac omnia à philoſophia ſtudiis abſtrahamur. extremum vero omnium eſt, quod, ſi quid ab ipſo otij nobis contingat, noſq́; ad conſiderandum aliquid conferamus, inveſtigantibus nobis rurſus vbiq́; ſeſe opponens, tum vulta quædam perturbat animum, & quaſi percutiens reddit attonitum, adeo vt hoc obſtaculo impediti verum perſpicere nequeamus.* Vt autem hæc impedimenta & varias difficultates ponamus, nos admonet Cicero inquiens: *Etſi omnis cognitio multis eſt*

obſtructa

obſtructa difficultatibus, eaq; eſt & in ipſis rebus obſcuritas, & in iudiciis noſtris infirmitas, vt non ſine cauſa & doctiſſimi, & antiquiſſimi inuenire ſe poſſe quod cuperent, diffiſi ſint; tamen nec illi defecerunt, neq; nos ſtudium exquirendi defatigati relinquemus. tum alibi: *ſiue ad ſapientiam pervenire poteſt, non paranda ſolum nobis ea, ſed fruenda etiam ſapientia eſt: ſiue hoc difficile eſt, tamen nec modus vllus eſt inveſtigandi veri, niſi inueneris: & quærendi defatigatio turpis eſt, cum id, quod quæritur, ſit pulcherrimum. etenim ſi delectamur cum ſcribimus, quis eſt tam inuidus, qui ab eo nos abducat? ſin laboramus, quis eſt, qui alienæ modum ſtatuat induſtriæ?*

Poſtremo addit Hippocrates, *longi temporis induſtriam* ad artem medicam, aliaſque ſcientias addiſcendas. Profeſſores quidem ſtudendi terminum in Academiis tribus annis definiunt, ſed ego nullum finem diſcendi facio, & cum Seneca impero: *Tandiu diſcendum eſt, quandiu neſcias; ſi prouerbio credimus, quandiu viuas.* Scientiæ infinitæ finito tempore non addiſcuntur, cum vitæ breuitate ſint illæ longiores: vnde jocari ille dicendus eſt, qui artem medicam, non dico alias ſcientias, tribus annis diſcere ſperat, &

qui

qui omnia ſe noſſe prædicat, aliumque docere omnia exigua quadam mercede, breuique tempore profitetur. Cum ergo ingenium humanum vix paucarum ſcientiarum ſit capax, junior medicus, ad neceſſarias, reique medicæ ſubalternas ſeſe applicare debet. Prima & omnium vtiliſsima, præclariſsima, magiſque neceſſaria videtur omnium nationum & hominum authoritate Philoſophia. Hanc multi volunt rerum gerendarum perniciem, omniumque vitiorum proſtibulum, adoleſcentum corruptelam, virorumque ingenuorum probrum, probante hoc ipſum Platone in Gorgia: *Philoſophia quidem gratioſa res eſt, & venuſta, ſi quis illam moderate & in adoleſcentia attingit. ſin autem ſupra modum tempus in ea contriuerit, hominum eſt corruptela. quamlibet enim quis bono à natura ſit ingenio præditus, tamen ſi diutius per ætatem jam provectam philoſophetur, neceſſario omnium rerum imperitus euadet. quarũ omnino clarum, bonum, excellentem virum habere peritiam oportet. nam & legum ciuilium, & verborum, quibus in conſuetudine cætuq; hominum tam publice, quam priuatim vti debet; voluptatum præterea, cupiditatumq; humana-*

 rum,

rum, & vt breuiter comprehendam, morum prorſus ſunt ignari. quo circa quoties ad aliquam rem gerendam, vel publicam vel priuatam ſe conferant, habentur ridiculi. Pergit porro: *In adoleſcente philoſophiam dum cerno, valde delector, decenſq; judico, atq; ingenuum eſſe hominem hunc exiſtimo: eum vero qui non philoſophetur, illiberalem, nec vnquam præclarum aliquid ac generoſum de ſeipſo præſtiturum. ſed quando grandiorem natu philoſophantem animaduerto, neq; dum ſtudia eiuſmodi deſerentem, verberibus jam hunc virum indigere cenſeo. quippe quod huic accidit homini, vt, etiamſi ingenuæ indolis ſit, tamen ſeruilis euadat. fugit enim mediam ciuitatem, forenſeſq; conſuetudines, in quibus poëta inquit viros fieri præſtantiſſimos: abſconditq; ſeſe cum tribus vel quatuor pueris, & in angulis ſuſurrando vitam ducit, nihil vnquam liberale aut magnificum prolaturus.* Inſuper: *quomodo id ad ſapientiam ſpectat, ſi qua ars ingenuæ mentis nacta virum reddit deteriorem, adeo vt nec ipſe ſibi opem ferre valeat, nec ex periculis ſe, aut alium quenquam ſeruare, ſed inimicorum raptorumq; exponat iniuriis inglorium in ciuitate degentem? jam vero eiuſmodi virum, etſi dicto ſit agreſtius, licet ſuper*

genam

genam impune pulſare. Hæc ſane ſine iniuria de noſtris philoſophis dici poſſunt, qui circa ineptas quæſtiunculas, & circa inutiles diſtinctiones tempus terunt, & quæſtiones difficiles negligunt, quæ ad artem medicam diſcendam poſſent eſſe adiumento. Totis diebus *Ergo* illud auditur, & nihil, aut leuiuſculum quid concluditur. Ea vero quæ ad naturas rerum, tum earum principia, cauſas, effecta, ſpectant, nemo ne digito quidem vel mouet, vel aggreditur. Quare iſti vani *Ergotizantes* merito ſecundum philoſophum pulſandi eſſent. Audi, ſi naturas rerum intelligeremus, loco ineptiarum, quid prodeſſet: *omnium rerum natura cognita leuamur ſuperſtitione, liberamur mortis metu, non conturbamur ignoratione rerum, è qua ipſa horribiles exiſtunt ſæpe formidines. denique etiam morati melius erimus, cum didicerimus, quæ natura deſideret.* Vſum vero & profectum Philoſophiæ enumerat Plutarchus in hunc modum: *Animi ægritudinibus atq; motibus ſola medetur Philoſophia. hoc duce & comite cógnoſcere datur, quid honeſtum ſit, quid turpe, quid juſtum, quid injuſtum, quid ad ſummum expetendum, quid fugiendum; quo-*

 modo

modo nos erga deos, erga parentes, ſeniores, leges, alienos, magiſtratus, amicos, vxores, liberos, ſeruos gerere debeamus, ſcilicet: vt veneremur deos, parentes honore afficiamus, ſeniores reuereamur, legibus obtemperemus, amicos diligamus, vxores caſte amemus, liberos animi interno quodam amore complectamur, ſeruos injurioſe non tractemus, & , quod ſummum eſt, neq; rebus ſecundis efferamur gaudio, neq; aduerſis nimio luctu dejiciamur, ac neque voluptatibus diffluamus, neq; ira ad ſæuitiam nos abripi ſinamus. quæ ego omnium nobis à philoſophia contingentium bonorum antiquiſsima judico. Eodem ferme ſenſu Cicero: *Philoſophia medetur animis: inanes ſolicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores.* Dilucide Pythagoras ad rem noſtram faciens quondam philoſophiam explicauit: ferunt enim eum, vt Ponticus Heraclides ſcribit, Phliuntem veniſſe, & cum Leonte principe Phliaſiorum docte, & copioſe diſſeruiſſe quædam. Cujus ingenium & eloquentiam cum admiratus eſſet Leon, quæſiuiſſe ex eo, qua maxime arte conſideret? at illum artem quidem ſe ſcire nullam, ſed eſſe philoſophum. admiratum Leontem nouitatem nominis,

minis, quæſiſſe, quinam eſſent philoſophi, & quid inter eos & reliquos intereſſet? Pythagoram autem reſpondiſſe: ſimilem ſibi videri vitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. nam vt illic alij corporibus exercitatis gloriam, & nobilitatem coronæ peterent: alij emendi, aut vendendi quæſtu, & lucro ducerentur, eſſet autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plauſum, nec lucrum quærerent, ſed viſendi cauſa venirent ſtudioſeque perſpicerent, quid ageretur, & quo modo: item nos quaſi in mercatus quadam celebritate ex vrbe aliqua, ſic in hanc vitam ex alia vita & natura profectos, alios gloriæ ſeruire, alios pecuniæ, raros eſſe quoſdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam ſtudioſe intuerentur; hos ſe appellare ſapientiæ ſtudioſos, id eſt enim philoſophos: & vt illic liberaliſsimum eſſet, ſpectare nihil ſibi acquirentem, ſic in vita longe omnibus ſtudiis contemplationem rerum, cognitionemque præſtare.

Maximum certe philoſophiæ bonum

pene omiſi, ſui nempe vniuſcuiuſque cognitionem. ipſa enim nos docet quales, quid & vnde ſimus, qui ſint varij noſtri affectus, & interiores mentis impetus, & plura alia. *Qui ſe ipſe norit,* (ita Cicero diſſerit,) *primum aliquid ſentiet ſe habere diuinum, ingeniumq; in ſe ſuum, ſicut ſimulacrum aliquod dedicatum putabit, tantoq; munere deorum ſemper dignum aliquid & faciet, & ſentiet: &, cum ſe ipſe perſpexerit, totumq; tentarit, intelliget, quemadmodum à natura ſubornatus in vitam venerit, quantaq; inſtrumenta habeat ad obtinendam adipiſcendamq; ſapientiam: quoniam principio rerum omnium quaſi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illuſtratus ſapientia duce, bonum virum, & ob eam ipſam cauſam cernat ſe beatum fore. Nam cum animus cognitis perceptisq; virtutibus à corporis obſequio indulgentiaq; diſceſſerit, voluptatemq;, ſicut labem aliquam dedecoris, oppreſſerit, omnemq; mortis, dolorisq; timorem effugerit, ſocietatemq; carnis ejecerit, tum ſuis, omnibusq; natura coniunctos, ſuos duxerit, cultumq; deorum, & puram religionem ſuſceperit, & exacuerit illam, vt oculorum, ſic ingenij aciem, ad bona diligenda, & rejicienda contraria, quid*

eo dici, aut excogitari poterit beatius? Idemq; cum cælum, terras, maria, omniumq; rerum naturam perſpexerit, eaq; vnde generata, quo recurrant, quando, quo modo obitura, quid in ijs mortale, & caducum, quid diuinum æternumq; ſit, viderit, ipſumq; ea moderantem, & regentem pene prætenderit, ſeſeq; non vnius circumdatum mœnibus, popularem alicujus loci, ſed ciuem totius mundi, quaſi vnius vrbis, agnouerit: in hac ille magnificentia rerum, atq; in hoc conſpectu & cognitione naturæ, dij immortales, quam ipſe ſe noſcet! quam contemnet, deſpiciet, quam pro nihilo putabit ea, quæ vulgo dicuntur ampliſſima! atq; hæc quaſi ſepimento aliquo vallabit differendi ratione, veri & falſi judicio, ſcientia & arte quadam intelligendi, quid quamq; rem ſequatur, & quid ſit cuique contrarium. cumq; ſe ad ciuilem ſocietatem natum ſenſerit, non ſolum illa ſubtili diſputatione ſibi vtendum putabit, ſed etiam fuſa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua ſtabiliat leges, qua caſtiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros viros: qua præcepta ſalutis & laudis apte ad perſuadendum edat ſuis ciuibus: qua hortari ad decus, reuocare à flagitio, conſolari poſſit afflictos; factaq; & conſulta fortium, & ſapien-

tum, cum improborum ignominia ſempiternis monumentis prodere. atque hæc ſunt Philoſophiæ commoda.

Cum medicina principiis philoſophicis nitatur, conueniens erit, vt ea philoſophiæ iungatur, non minori ſtudio quam labore, ſi velis vel particulas quaſdam ab immenſa hac arte auellere: neminem enim credo ita audacem, qui poſsit affirmare, ſe omnes medicinæ partes ad vnguem callere, præter Theſſalum illum arrogantem atque ambitioſum, qui Romæ commorans dicebat, ſe intra ſex menſes totam artem medicam traditurum. Hunc modum tam facilem hac noſtra ætate plures credunt, & ideo *Sutores, & tinctores,* ait Galenus, *& fabri tum materiarij, tum ferrarij, proprio magiſterio relicto in medicinæ artis munera inſiliunt. nam qui pictoribus & vnguentarijs mixturas ſuas præparant, etiam de primo loco certant.* Itaque, ſi rei medicæ ſtudeas, ne fruſtra labores, *metire ætatem tuam*, ait Seneca, *pauca bona capit, nulla ſuperuacua.* memineris item, principia medica, cum vnum finem ſpectent, & nunquam fallant, eadem eſſe apud Latinos, Græcos, & Arabes, Gallos, Italos, Hi-

ſpanos,

ſpanos, Germanos, cuicunque Sectæ te addixeris. varijs item itineribus ad vnum determinatum locum perueniri, adeo vt etiamſi aliter Latini, aliter Græci, aliter Arabes curent, tamen vnicam omnes paremque ſanitatem & ſcopum obtineant. Cui ſectæ, & quibus Magiſtris te concredere debeas, difficile eſt dicere, cum plures ſint medicinæ ſcriptores, interpretes, interpolatores, quam fuerint Dydimi grammatici libri, quos quatuor millia recenſent. Optarem ſane incendium bibliothecæ Alexandrinæ, in qua quadraginta millia librorum arſerunt, vt ab inanibus medicinæ doctoribus, & ab ingenti librorum medicorum farragine liberaremur: quo plus ſcribunt iſti, eo minus ſciunt, & plus tenebrarum quam lucis in re medica obtendunt. Vir profecto eruditus, Pariſienſis quondam medicus, de corruptela librorum antiquorum conqueritur inquiens: *Veterum ſcriptorum illius felicioris ætatis quanta fuit olim ſtyli majeſtas? qualis ex orationis illorum luminibus ſplendor eluxit? quis quantusq; decor & gratia ex illuſtri compoſitionis inimitabilis ornatu & elegantia propemodum ſingulari? maximo argumento eſſe poſſunt,*

vt ſumptuoſi ædificij nonnullæ reliquiæ, quæ etiãnum extant paulo integriores, quaſq; non poſſumus ſine admiratione maxima contemplari. Nunc per exſcriptos libros, totieſq; imprimendo interpolatos, quis ſqualor & ſitus? quanta vero obſcuritas, vt non vmbræ, ſed tenebræ pro luce inductæ ſint? quot ſordes, quot ineptiæ inuectæ ſunt, aut deſcribentium inſcitia, aut ſemidoctorum quorundam audacia? quanta denique in politiſſima ſcripta obrepſit barbaries? nullus ferme liber eſt, qui non infinitis erratis, aut certe quam pluꝛimis ſcateat. Auctores ipſi, ſi reuiuiſcant, exceptis pauciſſimis, libros, qui circumferuntur, tanquam liberos & ingenij ſui partus aut nequeant, aut nolint agnoſcere: vſq; adeo ipſorum monumenta lacera, mutila, deprauata, & fœdata ſunt, id omnium ferme quidem omnia. ob quam ergo cauſam adhuc ſemel dico, difficile eſſe tibi perſuadere, quos authores legas, quanquam nullus ſit liber tam malus, vt non aliqua ex parte prodeſſe poſsit; priſci tamen plus habent eruditionis, quam noſtri recentes medicinæ nouatores, qui plus in hac corrumpunt, quam corrigant. Non omnia norunt quidem, ſed plura & certiora quam noſtri noui garruli,

quos

quos cum Cephiſophonte amandare oporteret. Ille enim, cum de re quauis per integrum diem ſe dicere poſſe affirmaret, vrbe eiecerunt Spartani, dicentes: *Boni oratoris eſſe, orationem rebus æqualem habere.* Probandi, & cum excuſatione veteres audiendi ſunt. Deinde, paretur librorum quantū ſatis ſit, nihil in apparatum honeſtius. multo tamen ſatius eſt, paucis te authoribus tradere, quam errare per multos: vagos enim dicunt ſimiles eſſe formicis per arbuſta repentibus, quæ in ſummum cacumen, deinde in imum inanes aguntur. Illud vide, ne iſta lectio multorum authorum, & omnis generis voluminum habeat aliquid vagū & inſtabile. certis ingenijs immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere, quod in animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt, qui vbique eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt ijs, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant, ſed omnia curſim & properanter tranſmittunt. Diſtrahit animum librorum multitudo, & quorundam ſcripta tantum clarum nomen habent, cetera exanguia

 ſunt.

ſunt. Inſtituunt, diſputant, cauillantur, non faciunt animum, quia non habent. Videtur vnuſquiſque noſtrum tanquam per ſomnium noſſe omnia, re vera autem rurſus omnia ignorare: vt Epicharmus Siculus bene dixerit: *Neruos atq; artus ſapientiæ, non temere credere.* Hoc vnum de re medica addo, vt anatomen ad vnguem, ſi fieri poteſt, diſcas, vix dici poteſt, quantum vtilitatis afferat: deinde herbas & cetera ſimplicia vt vocant, optime noſcas; tandem materias medicas quæ in pharmacopolijs proſtant, probe diſcernere ſcias. ſic enim optimus medicus futurus es.

Vtrum medicus alias artes, vt ſunt Arithmetica, Geometria, Muſica, Poëſis, Hiſtoria, Coſmographia, ſcire & ijs ſe applicare debeat, vnuſquiſque ſibi ipſi reſpondere poterit, ſi recordetur, quam turpe & ſtolidum ſit, de nullo ſcire diſcurrere, quam de moribundis, afflictis, ægrotantibus & eorum excrementis. decorum eſt, quandoque narrare hiſtorias, poeſes; dicere, quantus ſit totus orbis, pingere verbis chartas geographicas, quas Mappas vocant. Cicero dicit; *Neſcire, quid antea, quam*

natus

natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. quid enim eſt ætas hominis, niſi quum memoria rerum veterum cum ſuperiorum ætate contexitur? Delector ego quidem Poëtice, ſed non vnicuique conuenit; quandoque ſuis blanditijs à magis neceſſarijs abſtrahit, & accidit quod olim Periandro nobili laudatiſsimoq; medico: nam cum inepta carmina ſcriberet, Archidamus Ageſilai filius, *quanam, inquit, de cauſa projcito medico cupis appellari malus poëta?* Laudarem medicum, qui auderet gloriari vt Eleus Hippias. Hic cum Olympiam veniſſet, maxima illa quinquennali celebritate ludorum, gloriatus eſt, cuncta pene audiente Græcia, nihil eſſe vlla in arte, rerum omnium, quod ipſe neſciret: nec ſolum has artes, quibus liberales doctrinæ, atque ingenuæ continerentur, Geometriam, Muſicen, literarum cognitionem & poëtarum, atque illa quæ de naturis rerum, quæ de hominum moribus, quæ de rebus publicis dicerentur: ſed annulum, quem haberet: pallium, quo amictus; ſoccos, quibus indutus eſſet, ſe ſua manu confeciſſe. Sed hac de re finio & hanc coronidem huic capiti impono: *Nullum eſt majus*

donum, quod acceptum bonitati Muſarum homines ferre debent, quam quod doctrina & diſciplina emolliuntur, & mitigantur ingenia, modumq; tenere, & nimia omnia vitare diſcunt.

De Religione Medici,

CAPVT III.

SVperuacuum tibi videbitur, jocunde lector, tractare impræſentiarum id, cuius hactenus nemo meminit. putant enim ægrotos non medicorum pietate aut religione, ſed medicamentis juuari, ſeu ſit medici pietas ſyncera, ſeu religio praua. dicam tamen aliquid, non vt te aliquam particularem, tanquam ſoli medico peraccomodam, & conuenientem religionem doceam, ſed vt ſcias, differentiam quandam eſſe inter religionem & ſuperſtitionem, & vt antiquos philoſophos, alioſque viros doctos excuſes, quando de pluribus dijs & de varijs cærimonijs loquuntur. illi enim optime intellexerunt, repugnare diuinitati, plures eſſe deos. Si plures darentur, aut eſſent omnes æquales inter ſe, aut contrarij & diuerſi. ſi æquales, cur vnus non ſufficiat abſq; adjumento alterius? ſi contrarij, quis erit poten-

potentior? & quî-fieri poteſt, vt deus alij deo aduerſetur? in diuinis non datur contrarium. Illi ergo populariter locuti ſunt, ne apud vulgum traducerentur, aut eorum ſcripta vſtularentur. Ideo Antiſthenes philoſophus id quod eſt, apud ſeſe ingenue confeſſus dixit, *populares nempe deos multos eſſe, naturalem vero ſolum vnum.* Æmuli Socratis non aliter potuerunt eum è medio tollere, quam cum perduellem religionis appellarunt, quod apud plebem & Magiſtratum majus crimen committi non potuerit, quam ſiniſtre de Dijs ſentire. Anaxagoras impietatis damnatus eſt, quod Solem dixiſſet eſſe lapidem. Quamobrem ſi apud philoſophos antiquos, aut apud alios inuenias, deos, vel deas, deum, vel deam, vnam diuinitatem intellige. De Religione optime Plutarchus: *Inſcitia deorum, atq; ignoratio jam inde ab initio in duos quaſi riuos dimanans, ab vna parte in duris ac refractarijs ingenijs, tanquam in aſpero ſolo, impietatem, quæ nullos putat eſſe deos, & altera veluti in molli ac tenero ſolo ſuperſtitionem animis lenibus ingenerauit.* Athei nulli ſunt niſi inſani, ſuperſtitioſi infiniti. *Impius, qui deorum imperium*

rium tanquam tyrannidem metuit, dicit Plutarchus, *tetricam & inexorabilem*, *quo concedat*, *quo fugiat*, *quam terram dei expertem*, *quod mare inueniat? in quam mundi partem penetrabis*, *ibiq; te abſcondens effugiſſe te deum putabis miſer?* addit Xenophon: *Deorum immortalium bellum*, *neque qua quis celeritate*, *neq; in quas effugiat latebras video. nec poſtremo in quod ſe propugnaculum recipiat*, *quo neglecti Numinis ira non peruadat*, *cum omnia ſint dijs obnoxia*, *neq; ſit quicquam vſpiam*, *quod in deorum poteſtate non ſit.* Dic, jocunde lector, enumerare potes ſuperſtitioſos?

Promptius expediam, *quot amauerit Hippia mœchos*,
Quot Themiſon ægros autumno occiderit vno,
Quot Baſilus ſocios, *quot circumſcripſerit Hirrus*
Pupillos.

Vix vnus aut alter eſt, qui hodie in ſe ſuperſtitionem non admiſerit, ita pauci ſynceram religionem ſartam tectam volunt. In ſuperſtitioſis regnat timor, in impijs diuinorum contemptus.

Ignouiſſe putas, *quia*, *cum tonat*, *ocyus ilex*
Sulfure diſcutitur ſacro, *quam tuq; domusq;?*

Idcirco

Idcirco ſtolidam prabet, tibi vellere barbam Iupiter?

Ægyptiorum ſtultitiam, & vanam religionem Xenophanes phyſicus correxit, cum videret in ſolennibus feſtiuitatibus plangere & ejulare Ægyptios, atque apte eos ſic monuit: *Hi ſiquidem Dij ſunt, nolite eos lugere, ſin homines ſunt, nolite ijs ſacrificare. Noli auellere,* inquit Plutarchus, *templo ſuperſtitioſum, ibi enim punitur atq; excruciatur.* Quare medicum pium quidem, deumque timentem, ſed non ſuperſtitioſum volumus, minus in rebus ſacris litigioſum & tergiuerſantem: qui ſciat, nunquam nos verecundiores eſſe debere, quam cum de deo agitur: omnibus in rebus & dicendis, & cogitandis principium ſemper in deo eſſe ſumendum. qui ſciat etiam, vt cum Galeno loquar, non in eo veram eſſe pietatem, vt taurorum hecatombas deo plurimas quiſpiam ſacrificet, & caſias, aliaque ſexcenta vnguenta ſuffumiget; ſed ſi noueris ipſe primus, deinde expoſueris alijs, quænam ſit ipſius ſapientia, quæ virtus, quæ prouidentia, quæ bonitas: ignoratio quorum ſumma impietas eſt, non ſi ſacrificio abſti-

neas,

neas. quod enim cultu conuenienti exornarit omnia, nullique bona inuiderit, id perfectiſsimæ bonitatis ſpecimẽ eſſe ſtatuo. inueniſſe autem quo pacto omnia adornarentur, ſummæ ſapientiæ eſt; & effeciſſe omnia quæ voluit, virtutis eſt inuictæ. Nullum ſpero fore Atheum, ad quem hæc ſcripta peruentura ſunt, dicamus ergo cum antiquis venerabundi diuinum Numen, qualis cultus deo conueniat. Plato incipiat: *Primo cauendum eſt, ne quid in deum aut verbo, aut opere aliquando peccemus, deinde ne quid aduerſus diuinos homines. noli tam temerarius eſſe, vt impie de dijs ſentias. Deus qui ſapientiſſimus eſt, & curare poteſt, ac vult, magnis quidem prouidebit ſolum, parua autem, quæ facilius gubernari poſſunt, propter pigritiam, & ignauiã negliget? nefaria hæc & falſa penitus cogitatio. Æquum profecto eſt, nomina deorum non facile inquinare, nec ea huc atq; illuc deuoluere, ſed omnia quæ ad deos pertinent, pure caſteq; ſeruare. Malorum alicui cauſam eſſe ipſum deum, cum bonus ſit, refellendum eſt omnino, neq; permittendum hoc quenqam dicere in ſua ciuitate, ſi bonis inſtitui legibus ciuitas debet, neq; inſuper quenquam audire, ſiue ſit*

ille junior, ſiue ſenior: tanquam quæ neq; dictu ſancta ſint, neq; nobis vtilia, neque inter ſe conſona. Simplex omnino deus & verax dictis ac factis neq; mutatur ipſe, neq; alios decipit, neq; per viſiones, neq; per ſermones, neq; per ſigna, neque nobis dormientibus, neque vigilantibus. Non ejuſmodi eſt dei natura, vt ducatur muneribus quemadmodum improbus fœnerator. etenim graue eſſet, ſi deus ad donaria & ſacrificia noſtra reſpiceret potius quam ad animum, vtrum juſtus ſanctusq; ſit. ad quem equidem deum arbitror multo magis attendere, quam ad multi ſumptus pompas atq; ſacra, quæ nihil prohibet, eum, qui multa in deum homineſq; peccauerit, ſeu priuatus ſit, ſiue res publica ſingulis annis perficere. Nunc audiendus eſt Cicero: *Quis eſt tam vecors, qui aut cum ſuſpexerit in cœlum, deos eſſe non ſentiat, & ea quæ tanta mente fiunt, vt vix quiſquam arte vlla ordinem rerum, ac viciſſitudinem perſequi poſſit, caſu fieri putet? aut, cum deos eſſe intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum imperium eſſe natum, & auctum, & retentum? Sit omnibus perſuaſum, dominum eſſe omnium rerum, ac moderatorem deum, eaq; quæ geruntur, ejus geri judicio ac numine, eundemq; optime*

time de genere hominum mereri: & qualis quiſque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate religionem colat, intueri: piorumque & impiorum habere rationem. Ex tot generibus nullum eſt animal, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei; de ipſiſque hominibus nulla gens eſt tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum ſciat. Cultus dei eſt optimus, idemque caſtiſsimus, atque ſanctiſsimus, pleniſsimusque pietatis, vt eum ſemper pura, integra, incorrupta, & mente, & voce veneremur. Mala & impia conſuetudo eſt, contra deum diſputandi, ſiue ex animo id fit, ſiue ſimulate. Satis nobis perſuaſum eſſe debet, ſi omnes deos, hominesque celare poſsimus, nihil tamen auare, nihil injuſte, nihil libidinoſe, nihil incontinenter eſſe faciendum. Succedit Seneca, honeſtæ vitæ obſeruantiſsimus: *Primus eſt deorum cultus, deos credere, deinde reddere illis majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla majeſtas eſt. ſcire, illos eſſe, qui præſident mundo, qui vniuerſa vt ſua temperant, qui humani generis tutelam gerunt. Hi nec dant malum, nec habent. ceterum caſtigant quoſdam & coercent, & irrogant pœnas, & aliquando ſpe*

oni puniunt. Vis deos propitiari? bonus eſto: ſa-
s illos coluit, quiſquis imitatus eſt. Illos altiſsi-
os viros (antiquos) error iſte non tenuit, vt
xiſtimarent, Iouem modo leuioribus fulminibus
r luxatorijs telis vti, ſed voluere admonere eos,
uibus aduerſus peccata hominum fulminandum
t, non eodem modo omnia eſſe percutienda;
uædam frangi debere, quædam elidi & diſtin-
ui, quædam admoueri. Ne hunc quidem cre-
iderunt Iouem eſſe qualem in Capitolio, & in
æteris ædibus videmus mittere manu fulmina;
d eundem quem nos Iouem intelligunt, Cuſto-
em, Rectoremq; vniuerſi, animum & ſpiritum
iundi huius, operis dominum, & artificem.
Hic eſt, ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, ex quo ſunt
mnes cauſæ cauſarum, cuius conſilio mundo
rouidetur, vt inconcuſſus exeat, & actus ſuos
xplicet. Ex quo nata ſunt omnia, cujus ſpiritu
iuimus. Ipſe eſt totum quod vides, totus ſuis
artibus inclytus, & ſe ſuſtinens & ſua. Tunc
ito, eſſe te omnibus cupiditatibus ſolutum, cum
o perueneris, vt nihil deum roges, niſi quod ro-
are poſsis palam. Sic viue cum hominibus, tan-
uam deus videat, ſic loquere cum deo, tan-
uam homines audiant. Optimam clauſulam
mponit diſertus Xenophon; Ego, poſtquam

didici,

didici, deos hominibus citra intelligentiam earum rerum quas nos agere, & quomodo agere oporteat, bene rem gerere minime conceſsiſſe, prudentibus vero, ac diligentibus felicitatem tribuiſſe, illos ego colere ante omnia conſtitui, conorq; quantum mihi fas eſt ſupplicanti, valetudinem inprimis, vireſq; corporis, deinde honores in ciuitate, beneuolentiamq; inter ciues, & in bello ſalutem, poſtremo rei familiaris honeſtam amplificationem ab eis impetrare.

Si nihil aliud adderem, jocunde lector, iſta ſufficerent, & ſatis ſuperque eſſes in religione, (quantum nobis de hac loqui licet, & neceſſarium eſt) inſtitutus, modo pietati probitatem vitæ adderes, ſine qua vana eſt religio & pietas. Stomachaberis forte, quod ſolum doctrinæ de diuinis addictus fuerim antiquorum, quin potius adeundi erant alij ſcriptores noſtri æui, qui plura, meliora, & ſaniora dicunt. Sed memineris eandem religionem, eandemque pietatem eſſe, exerceri vero variis modis apud vnamquamque nationem, adeo vt videas diuerſa Religioſorum inſtituta, qui tamen vnum cultum diuinum volunt, ſed varijs modis exercitum. Si Platonem legas,

ſecreta

ecreta baſimque & myſteria noſtræ reli-
ionis reperies paucis immutatis, præter
a quæ ab Eccleſia adhuc conſtituta ſunt.
ræterea ſufficit medico communis religio-
is inſtitutio, cúm medicus non ſit Theo-
ogus, nec Theologus medicus. quis mo-
us ſit exercendi pietatem melior, de hoc
eum os occluſum eſtó. Ideo autem iſta
tuli, vt intelligeres, antiquos recte de di-
inis ſenſiſſe, quantum quidem ad illam
onſuetam religionem, neque medicos, aut
ios male inſtitui, ſi eorum placitis, recte
ntellectis, vtuntur, vt tute examinare po-
ris. Et, ſi nondum es, mi medice, ex his
on fies impius. Quare totius ſeriei hujus
oc vnicum compendium eſto, neminem
bſque pietate virum eruditum, medi-
umue excellentem futurum: *nulla enim ſi-
e deo mens bona eſt. Semina in corporibus hu-
anis diuina diſperſa ſunt, quæ ſi bonus cultor
cipit, ſimilia origini prodeunt, & paria his,
quibus orta ſunt, ſurgunt: ſi malus, non ali-
r quam humus ſterilis ac paluſtris necat, ac dein-
creat purgamenta pro frugibus.* Tum virum
onum concedas neceſſe eſt, ſummæ pie-
tis erga deum eſſe, & quidquid ei acci-
derit,

derit, æquo animo paſſurum: ſciet enim id accidiſſe lege diuina, qua vniuerſa procedunt.

De moribus medicorum multa dici poſſent, deque vitæ probitate, ſine qua ne pietas quidem aut quæpiam virtus in animis noſtris hæſerit.

Quid juuat, hinc tẽplis noſtros immittere mores,
Et bona dijs ex hac ſcelerata ducere pulpa,

ſi pluribus votis in deum exurgas, mentem vero nequam non deprimas? ponenda ſunt vitiorum pondera, coercendi nimiſ animorum impetus, frangendi irarum fluctus, vitandæ illecebræ, curandæ inuidiæ macies, conſcindenda auaritiæ mantica, detergendum corpus libidinis cœno oblitum. Teipſum penitus introſpice, & veram tui exiſtimationem ini, & mentem excute: dij immortales, ſi hæc præſtiteris, qualis quantuſque eris! quam ſapiens diceris, quam probus, quam eruditus, imo quam humanus! tibi ipſi placens, alijs quam gratus! huc Ciceronis verba aduoco: *Is, quiſquis eſt, qui moderatione & conſtantia quietus animo eſt, ſibiq; ipſe placatus, vt neq; tabeſcat moleſtijs, neq; frangatur timore, nec ſitienter quid appetens*

ardeat

ardeat deſiderio, nec alacritate futili geſtiens deliqueſcat, is eſt ſapiens, quem quærimus, is eſt beatus. Cui nihil humanarũ rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nihil lætabile ad efferendum videri poteſt. quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis totiusq; mundi nota ſit magnitudo? nam quid aut in ſtudiis humanis, aut in tam exigua vitæ breuitate magnum ſapienti videri poteſt, qui ſemper animo ſic excubat, vt ei nihil improuiſum accidere poſſit, nihil inopinatum, nihil omnino nouum? atq; idem ita acrem in omnes partes aciem intendit, vt ſemper videat ſedem ſibi ac locum ſine moleſtia, atq; angore viuendi, vt quemcunq; caſum fortuna invexerit, hunc apte & quiete ferat. Effice ergo, mi medice, vt hæc tibi adſint.

Vnum, præ ceteris, te doceo, vt intolerabilem illum faſtum ſuperbiamque exuas, ſiquando apud optimates gratus fueris, aut ſi quam egregiam curam peregeris ne quis tibi reſpondeat, vt olim Ageſilaus Menecrati medico. Hic enim, quod deploratos quoſdam ſanitati reſtituiſſet, Iouis cognomentum retulerat, ſuperbiuſque eo vtebatur, adeo vt Ageſilao ita auſus ſit ſcribere:

Menecrates Iupiter regi Ageſilao ſalutem. Ageſilaus vero reſpondit: *Ageſilaus rex Menecrati ſanam mentem.* In reliquis fortunam lætam vel triſtem æquo animo patitor, memor illius poëtæ:

Si fortuna fauet, caueto tolli:
Si fortuna tonat, caueto mergi.

Alius item de conſtantia immutabili in aduerſis, & de inconſtantia & volubilitate fortunæ fauente ita egregie canit:

——omnes, cum ſecundæ res ſunt maxime,
Meditari ſecum oportet, quo pacto aduerſam ærumnam ferant:
Pericla, damna, exilia. peregre rediens ſemper cogitet
Aut filij peccatum, aut vxoris mortem, aut morbum filiæ:
Communia eſſe hæc: fieri poſſe: vt ne quid animo ſit nouum,
Quidquid præter ſpem eueniat, omne id deputare eſſe in lucro.

Alias deinde animi cupiditates auerruncat Plato, dum inquit: *Non erubeſcis, in eo omnem operam ponere, quo tibi pecuniarum, & gloriæ, & honoris quāpluri mum ſit: vt autem prudentia, & veritas, & optimus animi habitus*

in

in te ſit, neq; cogitas, neq; curas? idem alibi nos ad virtutem impellit: *Sic de viro juſto*, inquit, *exiſtimandum, ſiue paupertati, ſeu morbis, ſiue quibusvis alijs eorum, quæ mala videntur, obnoxius ſit, huic demum vel viuenti, vel mortuo ad bonum aliquod iſta conducere. neq; enim à dijs vnquam negligitur, quicunque juſtus euadere, virtutisq; officijs, quoad homini licet, deo ſimilis fieri conabitur.* Virtutibus decumanis alia minutularum virtutum additaméta adjiciuntur: cum ægris fideliter agere, præmijs non corrumpi, curam ſolertiamque in medendo adhibere, omnibus adeſſe, nemini nem ſpernere, ſermone blandum, comem, humanum ſeſe præſtare. deinde vt mittat rigorem illum odibilem, cui recentiores ſpecioſum nomen grauitatis maieſtatisque inuenere. hunc ego nunquam probauerim, qui non

———— *curo*
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſiq; Solones,
Obſtipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum ſecũ, & rabioſa ſilentia rodunt,
Atq; exporrecto trutinantes verba labello
Ægroti veteris meditantes ſomnia,

non enim video, ad quid huiuſmodi ſeueritas

ritas proſit, quam vt ægris formidabiles videamur, qui vultu hilari, beneque compoſito delectantur, atque jam ſe ſanos exiſtimant, cum ijs blanda cum medicis jucundaque collocutio conceditur. Ad hoc multum facit habitus corporis externus. Hic potiſsimum in veſtibus ſpectatur; quæ precioſæ quidem eſſe poſſunt, verum non ita, ac ſi mulierum delitiæ videremur potius quam medici. Abſit præterea illa veſtium conficiendarum, amiciendique noua ratio, medicum enim talis affectatio non decet, cui ineſſe debet virilis modeſtia. Eas veſtes medico parandas arbitror, quæ honeſtatem, quam quæ mollitiem denotent. His accedit barbæ & capillorum nutritio, quæ, quia ad bene medendum nihil conducit, parum refert, ſiue conſeruetur, ſiue negligatur. Scio multis balanatum gauſape, id eſt, barbam prolixam placere, præſertim Germanis, qui barbatum medicum, imberbi, ſed erudito, potiorem vocauerint, cui tamen ſit *ſupercilio breuior coma*: nam medicos imberbes pueros nondum ære lauatos, ſatis mordaci ſcommate appellant. quare in capillis alendis conſuetudinem ſequantur.

In

In medico iuniori,& vetulo, vetantur loquacitas, ſcurrilitas, & omne genus ineptiarum, quamuis in conſortiis nihil ſit vſitatius. hæc ſane plurima attulerunt mala, vt non abs re Anacharſis à Solone conuiuio exceptus, cum poſtea obdormiuiſſet, conſpectus ſit læua manu pudendis, dextra ori impoſita. cenſuit namque, recteque cenſuit, linguam validiori coercendam frœno. Cum Ptolemæus philadelphus ſororem ſuam Arſinoën in vxorem duxiſſet, Sotades, quod ei dixiſſet, ipſum in nequaquam licitum foramen intrudere aculeum, in carcere per longum tempus contabuit, pœnamque dedit importunæ loquacitatis non indignam; qui, vt alijs riſum moueret, multum ipſe fleuit temporis. Non minori malo ebrietati deditus ſtudet, quam loquacitati, cum ambo hæc mala connectantur. Ad loquendum prouocat vinum: inter loquendum multa deteguntur, atque aperiuntur, alias occulta, inuicemque innoteſcunt compotores, vt non inepte Æſopum ille increpauerit: *quid quæris, ridiculum caput, illas feneſtras, per quas in alterius cogitationes alter poteſt inſpicere?* vinum enim nos aperit, ac oſtentat, non ſi-

nens latere: ſed ſpeciem atque laruam adimit, lege, tanquam pædagogo, quam longiſsimè remoto. Proinde, Æſopo, Platoni, & ſi qui alij quempiam examinare volunt, tormenti loco ſit merum. Ad omnia aptum eſt vinum, nonnulli enim ingenio ad inueniendum apto, ſed dum ſobrij ſunt, minus audaci & quaſi concreto, quando ad pocula ventum eſt, thuris in morem à calore correpti exhalant. Enim vero metum, quo nulla alia res magis impedimento eſt conſultantibus, vinum profligat: multas etiam alias affectiones illiberales, & degeneres extinguit: & malignitatem ac ſimultates, tanquam duplices animi (vt ille ait) plicas explicat, ac verbis omnes vtriuſque generis in animo adfectus detegit. Nulla ergo cauſa eſt, cur vinum formidemus, quia motus animi continet, neque enim deterrimos excitat, niſi in peſsimis, quorum nunquam eſt ſobria conſultatrix animi facultas. quocirca in medico vinum non interdicitur, ſed ebrietas.

Vltimum, quod medicum maximè diffamat, eſt incōtinentia prona & vaga libido & parum foret, niſi & ingenuæ corrumperentur.

tur. quot viros egregios perdidit Venus! etiam vltra infandas proditiones progreditur. Furorem amatorium, vbi is hominem recte inuaſit, atque inflammauit, non Muſa aliqua, non demulcens incantatio, non loci mutatio compeſcit. ſed & præſentes amant, & abſentes deſiderant, & interdiu ſectantur, & noctu ad fores excubant, & ſobrij vocant, & bibentes canunt. Recte quidam poëta canit:

ô liberi, non Cypris eſt tantum Cypris,
Sed plurimis reſpondet nominibus ſuis:
Eſt Orcus illa, vis eſt indomabilis,
Et rabies eſt inſana,

ita nimis ſibi deditos excarnificat, non enim exiſtimo acerbioré ſcuticam pro cõſcientia excarnificanda poſſe reperiri, quam libidinem. Imo medicus luxurioſus, & quiſquis alius, in vita nil recte facit, nihil præter libidinem, virginum & matronarum corruptelas meditatur.

Sæpe aliquis digito medicum deſignat euntem,
Atq; ait: hic, hic eſt, quem ferus vrit amor.
Fabula (nec ſentis) tota jactaris in vrbe,
Dum tua poſthabito facta pudore refers.

Ita fit, vt malint potius morbo contabeſce-

re, quam talem medicum vocare, cuius medicina ſola ſit luxuries. Verum Satyra juſto longior fuit, nunc tandem ſilendum eſt.

Vtrum medici debeāt eſſe Aſtronomi,

CAPVT IV.

DIximus olim hac de re pauca, ſed quam bene, ignoramus, nunc ergo hoc opus exaſciandum reſumimus. Eudoxus, Æſchini filius, Gnidius, geometra, legislator, medicus, & in Aſtrologia facile princeps, Phaetontis quidem modo comburi voluit, ea lege, vt ſibi ante liceret, ad ſolem adſtanti figuram & magnitudinem, formamque aſtri perdiſcere; in ſcriptis tamen reliquit, Chaldæis, in prædictione, & in notatione cujuſque vitæ ex natali die minime eſſe credendum. Libenter, vt vides, aſtrorum conſtitutiones, motus, proprietates, didiciſſet, ſed neminem juſsit, nec docuit in cæleſtia inquirere, & inde vanas prædictiones, inutileſq; virtutes in inferiora agentes elicere. Hippocrates nullibi quod ſciam, Aſtronomiam commendauit tanquam neceſſariam; jubet quidem & vult, vt medici variationes tempeſtatum, temporumque mutationes obſeruent,

ſeruent, Lunam & Solem propter dies criticos, quod nempe menſes ſint tempora Lunæ, dies vero tempora Solis, non tamen jubet horoſcopos, prædictiones vanas docere. Hæc quidem habet libro de Carnibus: *De cæleſtibus autem rebus, & in ſublimi poſitis nihil dicere attinet, niſi quantum conferunt ad demonſtrandum de homine, & reliquis animantibus, quod ex his conſtant, & procreata ſunt, quodq; animo ſint prædita, & quod ſanitas & morbus, quodq; in homine ineſt boni vel mali, & mors ipſa inde proficiſcitur.* Verſio Ioannis Heurnij Vltrajectenſis, ab hac omnino diuerſa talis eſt: *De ſublimibus autem altiusq; petitis mihi dicendum non eſt, niſi quatenus commoda fuerint ad demonſtrandum de homine, & ceteris animantibus, quæcunq; in lucem edita & nata ſunt, quod anima ſint prædita, quid ſit ſanitas, quid ſit morbus, quid boni maliue homini inſit, & cur deniq; moriatur.* Sane qualemcumque ſenſum alterutrius verſionis ſequare, non euinces, Hippocratem de Aſtronomia loqui, imo dicit & inſinuat obſcure, meteora celeſtiaque non eſſe in re medica neceſſaria. nec dicit Heurnius, hominem, morbum, vel ſanitatem, bonum, vel ma-

 lum,

lum, aut denique mortem dependere, vel iſthæc ab illis ſublimioribus cauſari, ſed Hippocratem velle de iſtis rebus magis neceſſariis, quam de meteoris & altius petitis, ratiocinari. vnde non video, quomodo iuniori medico Aſtronomia addiſcenda perſuaderi poſsit: quamquam dicant, ſaltem ad opera Dei agnoſcenda conducere. Verum Seneca, *Supervacuum eſſe*, ait, *oſtendere, non ſine aliquo cuſtode tantum opus ſtare, nec hunc ſyderum certum curſum & diſcurſum fortuiti impetus eſſe: & quæ caſus incitat, ſæpe turbari, & cito arietare, hanc inoffenſam velocitatem procedere æternæ legis imperio tantum terra mariq; conſtantem, tantum clariſsimorum luminum ex diſpoſitione lucentium, non eſſe materiæ errantis hunc ordinem, neq; quæ temere exierunt, tanta arte pendere, vt terrarum grauiſſimum pondus ſedeat immotum, & circa ſe properans cæli fugam ſpectet, vt infuſa vallibus maria molliant terras, nec vllum incrementum fluminum ſentiant: vt ex minimis ſeminibus naſcantur ingentia.* Quocirca nulla Aſtronomia opus eſt ad rerum ordinem ordinatiſsimum demonſtrandum, adeo vt ſatis ſit, *eſſe præſtantem aliquam, æternamq; naturam, & eam*

ſuſpi-

ſuſpiciendam admirandamq; hominum generi, pulchritudo mundi, ordoq; rerum cæleſtium cogit confiteri.

—— faciem cæli non inuidet orbi
Ipſe Deus, vultuſq; ſuos, corpuſq; recludit,
Semper voluendo, ſeq; ipſum inculcat, & offert,
Vt bene cognoſci poßit, monſtratq; videndo,
Qualis eat, doceatq; ſuas attendere leges.

Deinde, quid poteſt eſſe tam apertum, tamq; perſpicuum, cum cælum ſuſpeximus, cæleſtiaque contemplati ſumus, quam eſſe aliquod numen præſtantiſsimæ mentis, quo hæc reguntur? Abſque Aſtronomia ita argumentatur Democritus: *Si eſt aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod poteſtas humana efficere non poßit, eſt certe id, quod illud efficit, homine melius. atqui res cæleſtes, omneſque eæ, quarum ordo eſt ſempiternus, ab homine confici non poſſunt, eſt igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. id autem quid potius dixerim quam Deum?* Denique, cæleſtem admirabilem ordinem, incredibilemque conſtantiam, ex qua conſeruatio, & ſalus omnium oritur, qui vacare mente putat, is ipſe mentis expers habendus eſt. Plato oſtendit in Timæo, quid proſit,

cæleſtia contemplari. *Aſſerendum eſt,* inquit, *ob hanc potiſsimum rationem, deum oculos genuiſſe, vt mentis circuitus, qui in cælo peraguntur, intuiti, in vſum redigamus noſtræ mentis, cogitationisq; noſtræ diſcurſiones illis cognatas, ſed perturbatas, quodammodo ad illorum temperiem reuocemus. & cum illos agnouerimus, & recta ratione ſecundum naturam præditi ſingulorum ordinem perceperimus, conuerſiones dei, quæ ſine vllo errore aguntur, imitemur, atq; ad earum exemplar diſcurſiones noſtræ cognitionis vagas & erraticas componamus.* Prudenter apud Xenophontem olim Socrates, cum affirmaret, nullam ex Geometria, & Aſtronomia hominibus exiſtere vtilitatem, in quibus dignoſcendis vita hominis inutiliter occupetur, à multiſque aliis rebus diſtrahatur. ideoque primum eſſe ab ipſa natura id quod bonum eſt, perdiſcendum, proximum, ab his potius qui vere boni ſcientiam tenent, quam ab aliis, qui fallendi artem poſsident. Anaxagoras Periclem principem Athenienſium abſque Aſtronomia ita in naturalibus inſtruxit, vt liber ab ea ſuperſtitione euaſerit, qua hominum cauſas ignorantium naturæq; rerum imperitorum animos ea, quæ in aëre

fiunt, miracula terrent, perturbantque, & ſiniſtris de deo opinionibus implicant. hanc naturalium cognitio cauſarum pellit, locoq; eius ſecutam pietatem, & ſpes bonas de Numine creat.

Sed ad rem veniamus. Poſtquam mihi rurſus in mentem venit pro Aſtronomia fauorabilis ſententia Hippocratis, in libro de Aëre, aquis, & locis, magis magiſque hæreo, vtrum medico perſuadenda ſit Aſtronomia, nec nè, multum enim valere, imo neceſſariam eam demonſtrare videtur, dum inquit: *Quod ſi cui iſta ad rerum ſublimium ſpeculationem pertinere videantur, is, ſi ſententia deſtiterit, facile intelliget, ad artem medicam Aſtronomiam ipſam non minimum, ſed plurimum potius conferre.* addit inſuper: *Syderum ortus obſeruandi, præcipueq; Caniculæ, deinde Arcturi, & Vergiliarum occaſus. his enim potiſſimum diebus morbi judicationem ſubeunt: & alij quidem perimunt, alij vero deſinunt, alijq; omnes in aliam formam & ſtatum tranſeunt.* Hæc ſententia, jocunde lector, non magis me mouet, quam ſuperior; ſiquidem contrarium euicero, ſi recte intelligatur. ſenſum itaque verborum eliciamus. Hippocrates

hoc libro docet, quo modo, quocunque perueniat medicus, aut in quamcunque vrbem, vel regionem, venti, tempeſtates, differentiæ caloris frigoris, humiditatis & ſiccitatis vniuſcuiuſque loci cognoſci poſsint, vt ipſe, cum morbi ab his dependeant, recte, atque tuto obſiſtere queat. hoc autem non fieri, niſi aſtrorum ortu & occaſu cognitis: quocirca huic operi medicum quam maxime incumbere debere. Si autem quis ſibi imaginetur, hæc ad Aſtronomiam (cum ſint ſublimioris contemplationis) non ad artem medicam referri debere, ſi bene rem expenderit, confitebitur quidem, iſta ad cæleſtium ſpeculationem pertinere, ſed tamen non credet, niſi ſententia deſtiterit, vt ipſe loquitur, medicinæ aliquid emolumenti aſtronomiam afferre. quod ſi Hippocrati velit credere, plane intelliget, ſecundum Hippocratem Aſtronomiam multum prodeſſe. Nempe dubitabat Hippocrates, dubiumque ipſe ſoluit, reſpondendo ſuæ ſententiæ non adſtipulanti, quamuis quis contrarium ſentiat, re tamen optime examinata, facile cum ſummo Magiſtro affirmaturum, Aſtronomiam plurimum ad rem medicam

medicam conferre. Adeo vt videas, Hippocratem nihil aliud inſinuare velle, niſi cognitionem mutationum temporum, quæ mutatio potiſsimum obſeruatur ex ortu & occaſu aſtrorum. quod autem hæc cognitio aliter haberi non poſsit niſi ab Aſtronomia, hoc plane neutiquam, & nullibi docuit. Et ſane, mi medice, melius temporum tempeſtates, regionum temperamenta, ventorum diuerſitates, & cetera hujuſmodi ex iſto libro Hippocratis, quam ex Aſtronomia diſces, cum horum omnium ſcientia in ſola obſeruatione conſiſtat. Non aliter enim quis hic Solodori varietatem aëris, ventorum, tempeſtatum frequentiam, imbriumque abundantiam cognoſcet, niſi per aliquot hebdomadas, menſes, aut ſaltem aliquot dies hic manſerit, vt horum omnium differentias re ipſa experiatur. Quamobrem liberrime dico, Aſtronomiam eſſe diſciplinam ingenioſam, ſubtilem, curioſam, ſed medico omnino inutilem. Quam audacter, dices, quam inconſiderate pronuntias? majus eſt piaculum, quam quod fieri juſsit Ariſtarchus cum Cleante Samio: ille enim putauit hunc violatæ religionis à

Græcis

Græcis debuiſſe poſtulari, tanquam vniuerſi Lares, Veſtamque ſi loco mouiſſet: quod is homo conatus ea, quæ in cælo apparent, tutari certis ratiocinationibus, poſſuiſſet cælum quieſcere, terram per obliquum euolui circulum, & circa ſuum verſari interim axem. Quid vero meruiſſem, jocunde lector, ſi dixiſſem, Aſtronomos eſſe nugivendulos, fallaces, ignaros, ſibi non conſtantes, & alia huiusmodi? ita forte mihi bene cum Ouidio precati fuiſſent:

Dij tibi dent nulloſq; lares, inopemq; ſenectam,
Et longas hyemes, perpetuamq; ſitim:

tum addidiſſent: *Cynica calumnia vanus eſt latratus*; ac ſi harum rerum ignarus eſſem petulans cachinno, & inſignis obtrectator. His imprecationibus nihil motus oſtendo, contrarios Aſtronomos diſſentientesque eſſe. Nicetas Syracuſius, cœlum, ſolem, lunam, ſtellas, ſupra denique omnia, ſtare cenſet, neque præter terram, rem vllam in mundo moueri: quæ cum circa axem ſe ſumma celeritate conuertat, & torqueat, eadem effici omnia, quæ, ſi ſtante terra cœlum moueretur. atque hoc etiam Platonem in Timæo dicere quidem arbitrantur, ſed paulo obſcu-

obſcurius. Hæc eadem confirmat ex recentioribus Nicolaus Copernicus. Alcmæo Crotoniates, Pythagoræ auditor, voluit Soli, Lunæ, reliquiſque ſyderibus diuinitatem ineſſe. Xenophanes Colophonius habitari in Luna, eamque terram multarum vrbium & montium putauit. Archimedes cenſuit Solem multis partibus majorem eſſe quam terram, Deumque putauit. Cleantes pugil primum, dein Xenonis auditor, Sydera ignea dixit, idque duorum ſenſuum teſtimonio confirmari, tactus & oculorum. ali Solem, Lunam, reliquaque aſtra aquis alia dulcibus, alia marinis. Cauſam vero eſſe, cur ſe ſol referat, nec longius progrediatur ſolſtitiali orbe, itemque brumali, ne longius diſcedat à cibo. Solem dominari, & rerum potiri. Anaxagoras, quoniam cæleſtia corpora mutuo eſſent connexa, fore, vt agitatione eorum vnum aliquando labefactatum, auulſumque decideret, prædixit. Neque vero ſtellas eſſe ijs in locis, vbi cernuntur, ſed quia lapidea ſint, & grauia corpora, lucere ea refracto in ipſis æthere: circumagi autem cõſtricta vertigine, & vehementi motus cæleſtis, eumque motum compa-

compactorum corporum ita ab initio obruiſſe, ne cælum rueret, frigidis iſtis & grauibus corporibus à ſe mutuo auulſis. Decidit autem è cælo ingens lapis apud Ægos potamos, vt Plutarchus refert, & iſta recitat, oſtenditurque adhuc, & ab ijs, qui Cherroneſum inhabitabant, colitur. Nonne iſti ſunt contrarij, nonne diſſentiunt? ſi hæc non ſufficiunt, audi ingenioſiſsimum aſtronomum Nicolaum Copernicum, in præfatione ad Paulum tertium Pontificem ita loquentem: *Nolo ſanctitatem tuam latere, me nihil aliud mouiſſe ad cogitandum de alia ratione ſubducendorum motuum ſphærarum mundi, quam quod intellexi, Mathematicos ſibi ipſis non conſtare in illis perquirendis. primum enim vſq; adeo incerti ſunt de motu Solis, & Lunæ, vt nec vertentis anni perpetuam magnitudinem demonſtrare & obſeruare poſsint. deinde in conſtituendis motibus, cum illorum, tum aliarum quinq; errantium ſtellarum, neq; iiſdem principijs & aſſumptionibus ac apparentium reuolutionũ motuumq; demonſtrationibus vtuntur. Alij namq; circulis homocentris ſolum, alij excentris & epicyclis, quibus tamen quæſita ad plenum non aſſequuntur. nam qui homocentris confiſi ſunt, etſi motus ali-*

quos

quos diuerſos ex eis componi poſſe demonſtrauerint, nihil tamen certi, quod nimirum phænomenis reſponderet, inde ſtatuere potuerunt. Qui vero excogitauerunt excentrica, etſi magna ex parte apparentes motus congruentibus per ea numeris abſoluiſſe videantur, pleraq; tamen interim admiſerunt, quæ primis principijs, de motus æqualitate, videntur contra venire. Rem quoq; præcipuam, hoc eſt, mundi formam, ac partium ejus certam ſymmetriam non potuerunt inuenire, vel ex illis colligere; ſed accidit eis perinde ac ſi quis à diuerſis locis manus, pedes, caput, aliaque membra optime quidem, ſed vnius corporis comparatione, depicta ſumeret, nullatenus inuicem ſibi reſpondentibus, vt monſtrum potius, quam homo, ex illis componeretur. Si aſſumptæ illorum hypotheſes non eſſent fallaces, omnia quæ ex illis ſequuntur, verificarentur procul dubio. Aſtronomorum nugas, fallacias, ignorantiam confirmet Cornelius Agrippa, qui de vanitate omnium ſcientiarum & artium ſcripſit, capite trigeſimo in hunc modum loquens: *Aſtronomia tota prorſus fallax, poëtarumque fabulamentis multo nugacior, cuius magiſtri audaces profecto homines, & prodigiorum authores, impia curioſitate fabricant orbes cælorum, ſyde-*

rum

rum menſuras, motus, figuras, imagines, numeros, concentuſque, tanquam nuper è cælis delapſi, ac in illis aliquandiu verſati depingunt: quibus omnia ſtare ac fieri, atque ſciri poſſe arbitrantur, de ijs ipſis tamen admodum diſsidentes, contrarij, & adhuc pugnantes, vt cum Plinio dicere non dubitem, atque hujus artis inconſtantiam palam arguere, ipſam eſſe nullam: cum de ejus etiam principijs aliter ſentiant Indi, aliter Chaldæi, aliter Ægyptij, aliter Mauri, aliter Iudæi, aliter Arabes, aliter Græci, aliter Latini, aliter antiqui, aliter recentiores. Recitatis deinde horum omnium ſententiis, & placitis, rurſus ita pergit: *Tranſeo de excentricis, concentricis, epicyclis, retrogadationibus, trepidationibus, acceſsibus, receſsibus, raptibus, ceteriſq; motibus, & motuum circulis ſermonem prorogare, cum omnia hæc non ſint nec dei, nec naturæ opera, ſed mathematicorum monſtra, & fingentium nugæ, à corrupta Philoſophia, & Poëtarum fabulis deriuata, quibus tamen veluti rebus veris, & à deo creatis, aut à natura firmatis, non pudet magiſtros illos tantum attribuere fidei, vt in has nugas veluti cauſas referant, quæcunque in iſtis fiunt inferioribus, illosque confictos motus dicunt eſſe principia omnium motuum inferiorum.*

rum. Tandem de ſeipſo ingenue fatetur inquiens: *Ego quoque hanc artem à parentibus puer imbibi, deinde non modicum temporis & laboris in ea amiſi; tandem didici, totam hanc, & omnem nullo alio fundamento inniti, niſi meris nugis, & figmentis imaginum, tædetque, & pænitet inſumptæ olim operæ, cuperemque omnem illius memoriam vſumque expoliare. abjecique jam dudum ex animo, nec reaſſumerem vnquam, niſi me potentium violentæ preces ſæpe rurſus impingere compellerent, ſuaderetque domeſtica vtilitas, ne aliquando illorum frui debere ſtultitiæ, & nugas tantopere cupientibus nugis obſequi.* Hæc omnia, jocunde Lector, ſi refutaueris, ambroſia & nectare afflues, eriſque Pincerna Iouis.

Effectus vero harum fictitiarum quis enumeret? ab aſtris habemus tempeſtates, ſerenitatem, pluuias, tonitrua, tenebras, maris æſtus, inundationes, ſecuras & difficilés nauigationes, hominum ſortes, prælia, pacem, ſcientias, artes, ignauiam, bonos & malos mores, prudentiam, juſtitiam, auaritiam, paupertatem, diuitias, proditiones, fraudes, furta, latrocinia, amicitias, morbos, ſanitatem, varias mortes, incendia,

omnis

omnis generis pericula: ſeruitia, dominia, Imperatores, Reges, Reſpublicas, Religiones, & ſexcenta alia nugæ illæ Aſtronomicæ efficiunt, præter diuinationes, prædictiones, cautelas, horoſcopos & totius vniuerſi gubernaculum. Tum animorum moderamenta regunt, præces in deum efficaces reddunt, atque infinitis modis in corpora humana influunt, & inclinando ad varias actiones mouent ad ima terrarum perrumpunt, ibique metalla & vniones excoquunt, indurantque, imo nihil eſt, quod aſtra non efficiant. Valeant itaque ceteræ omnes ſcientiæ, valeant artes, valeant ſi quæ aliæ ſunt diſciplinæ, Aſtronomia eſt omnia. Vitæ noſtræ normam in Calendarijs (Ephemeridas vocant) non legimus? non medicinæ regulas? non itinera? non ſubitos interitus? non diras peſtes? non ſacrilegia? non adulteria? non vim veneni? & vltimo non machinæ orbis imminens periculum? adeo in aſtrorum poteſtate ſita ſunt rerum fines & primordia. Quam multi Aſtronomi gloriantur, ſe prædixiſſe ex mathematicarum hypotheſium certis & infallibilibus rationibus Solis & Lunæ Eclipſes, regnorum mu-

tationes,

tationes, bella horrenda, inundationes, difficiles annonas & alia hujuſmodi? ſi certis & demonſtratiuis rationibus aſtronomia non niteretur, nihil ſane veri diuinarent, aut prædicerent. Thales Mileſius tempore Aſtyagis regis Perſarum defectionem ſolis prædixit. Helico item Cizicenus, Platonis familiaris, cui Dionyſius tyrannus argenti talentum dedit, cum eueniſſet vt prædixerat. Plinius refert, Democritum, qui primus intellexit, oſtenditque cum terris cæli ſocietatem, ſpernentibus hanc curam eius opulentiſsimis ciuium, præuiſa olei caritate ex futuro Vergiliarum ortu, magna tum vilitate propter ſpem oliuæ coemiſſe in toto tractu omne oleum, mirantibus qui paupertatem & quietem doctrinarum ei ſciebant in primis cordi eſſe. atque vt apparuit cauſa, & ingens diuitiarum curſus, reſtituiſſe mercedem anxiæ & auidæ dominorum pœnitentiæ, contentum ita probaſſe, opes ſibi in facili, cum vellet, fore. Non omiſerim, vt cum Tacito in Annalibus loquar, præſagium Tiberij, de Sergio Galba cum conſule, quem accitum & diuerſis ſermonibus pertentatum, poſtremo græcis verbis

bis in hanc ſententiam allocutus: *Et tu Galba quandoque deguſtabis Imperium*, ſeram ac breuem potentiam ſignificans, ſcientia Chaldæorum artis, cuius apiſcendæ otium apud Rhodum, magiſtrum Thraſullum habuit, peritiã eius hoc modo expertus. Quotiens ſuper negotio conſultaret, edita domus parte, ac liberti vnius conſcientia vtebatur. is litterarum ignarus, corpore valido, per auia ac derupta (nam ſaxis domus imminet) præibat eum, cuius artem experiri Tiberius ſtatuiſſet, & regredientem, ſi vanitatis ac fraudum ſuſpicio inceſſerat, in ſubiectum mare precipitabat, ne index arcani exiſteret. Igitur Thraſullus ijſdem rupibus inductus, poſtquam percunctantem commouerat, imperium ipſi, & futura ſolerter patefaciens, interrogatur, an ſuam quoq; genitalem horam comperiſſet, quem tum annum, qualem diem haberet? ille poſitus ſiderum, ac ſpatia dimenſus, hærere primo, deinde paueſcere, & quantum introſpiceret, magis ac magis trepidus admirationis & metus, poſtremo exclamat: *ambiguum ſibi ac prope vltimum diſcrimen inſtare.* Tum complexus eum Tiberius, præſcium pericu-

periculorum & incolumem fore gratatur, quæque dixerat oraculi vice accipiens inter intimos amicorum tenet. Similiter Neroni mox à filio Thraſullo prædictum imperium. Multis miranda hæc videbuntur, cogentque Aſtronomiam non vanitatem, ſed ſcientiam fateri, cum perſpicue pateat, ex his tribus prædictionibus, vim inſuperabilem in ſyderibus ineſſe, noſque inferiores à ſuperis & cæleſtibus regi atq; gubernari. Tacitus ipſe dubitat, quid de Chaldæorum arte ſentiendum ſit, & ſolum aliorum opiniones adfert, ſuam vero in dubio relinquit. Ego autem, jocunde lector, non habeo nauci Marſum augurem,

Non vicanos haruſpices, non de circo Aſtrologos,
Nō Iſiacos conjectores, non interpretes ſomniūm:
Non enim ſunt ÿ aut ſcientia, aut arte diuini,
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſq; harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quib⁹ egeſtas imperat:
Qui ſibi ſemitā non ſapiunt, alteri monſtrat viā,
Quibus diuitias pollicentur, ab ÿs drachmā ipſi petunt.
De his diuitÿs ſibi deducant drachmam, reddant cetera.

ego, inquam, cum Carneade contendo; diuina-

uinationem non eſſe, etſi immutabilitas in futurorum veritate ſit, niſi in ijs, quæ naturalibus & neceſſarijs cauſis continerentur. non enim Iupiter cornicem à leua, coruum à dextra canere iuſsit. Vnde ad iſtas prædictiones ſic reſpondeo: Principatum Galbæ potuiſſe naturaliter, non ex Aſtronomia, à Tiberio prædici, tantis enim jam honoribus fungebatur, & tot principes viciſsim videbantur perituri, vt principatus tandem ad Galbā deuolui poſſet. diu vero non duraturū principatum facile conjectare poterat, ſeneſcente jam Conſule. Thraſullū vero Aſtronomiæ, Chaldææque artis magiſtrum Tiberio imperium prædixiſſe, quod itidem euentuum rationes conſiderabat, Auguſtum liberis orbum, Tiberium imperij capacem, ſubdolum, imperatoris priuignum, cur non ex cauſis naturalibus liberrime & audacter non ſolum prædicere, ſed & confirmare in imperio potuerit? ſibi vero vitæ pericula imminentia certo oſtendere, cum metum fingere, trepidare, atque palleſcere omnino naturaliter abſque horoſcopo debebat: ſciebat enim rigorem animi, tum aliorum pericula in his prætuptis locis, tum ſe ſolum cum famulo

famulo valido, mare ſubſtratum, rupis præcipitia videbat, an non vltimum exitium ſibi iminere pronuntiaret? adeo vt apertiſsime videas, ad hæc prædicenda non opus fuiſſe, poſitus ſyderum, ſpatiave dimetiri, cum ex cauſis naturalibus iſta jam paterent. Futura eſſe contingentia, contingentia vero incerta, certoque prædici aut euenire debere omnes philoſophi negant. futura vero ſi eueniant, ex cauſis neceſſarijs atque concatenatis accidunt. ita vt hæc cauſa hunc effectum, effectus iſte aliam cauſam ſubſequentis effectus cauſet, & ita deinceps. Si futura ex aſtris poſſent prædici, jam in aſtris eorum cauſæ præexiſterent. vt ſi quis me medicum ex mathematicis ſciẽtijs voluiſſet prædicere, oportuiſſet aliquid vidiſſe in aſtris, quod me ſingulatim denotaſſet, & me jam ante natiuitatem in aſtris rei medicæ operam dantem. ſi quis enim velit aliquid prædicere, jam vt præexiſtens videre oportet, nam notum eſſe debet id quod prædicimus. me nondum medicum quis potuit dicere futurum medicum, cum futurũ non ſit, nec certo eueniat?

Dixeris hæc inter varicoſos centuriones,
Continuo craſſum ridet Vulpenius ingens,

Et centum Aſtrologos curto centuſſe licetur.

Quid aſtris cum imperio? quid cum Thraſulli periculo? puncta aſtrologica vix momentanea ſunt, cum ita citæ ſint eorum reuolutiones, vt ipſimet Aſtrologi fatentur, vt in ictu oculi aliam jam cæli faciem repræſentent. horoſcopi non poſſunt quaſi incipi, cum jam cælum variet, quomodo ergo certo recteque abſolui? ex ipſorum ſuppoſitis, provt aſpectus variant, ita variant effectus. quomodo prædicere certo poſſunt, quod nunquam firmiter tenent? denique, qua ratione, & quibus modis aſtra futura aſtrologis inſinuant? in ſe enim nihil certi, aut incerti continent. videmus lucentes globos, & nihil aliud. ex luce nihil poteſt prædici. diſtantia aut proximitas aſtrorum, eorum ortus & occaſus ad infortunium meum, ſortem, vitam & mortem nihil conferunt, cum meæ ſortis, vitæ & mortis in ſe nihil contineant, quomodo itaque ex his valetudinem, morbum, pericula, & quæcunque ſunt ejuſmodi haurire poſſim? qui non ægrotat, qui non moritur, qui neutrius ſortis eſt capax, qui periculorum eſt immunis, qui iſta omnia tollere, communicare, augere, ſiſtere, aut

demere poſsit? ita vero ſe habent aſtra, qua ratione ergo ea, quæ in ſe non habent, in nos delabi ſinant? quid autem in ſe haberent, cum nondum ſciamus, ex qua materia formata ſint. Cleantes quidem dixit, aquis dulcibus & marinis ali, ſed non dixit, aſtra ex his componi. alantur, quid tum? alimentum hoc nihil ad prædictiones, nihil ad diuinationes confert, cum aquæ ſeu dulces, ſeu ſalſæ ad cognitionem futurorum, minus ad inferiorum interitum vel vitam proderunt. Sint hæc materiæ æternæ, id eſt, ita ſimplicis, vt deſtrui naturaliter non poſsint, nec ſic ad horoſcopos apta & commoda erunt. Dices, Aſtronomi tempeſtates prædicunt, tonitrua, vrbium euerſiones, & ſimilia; conceſſerim. ſed non ex aſtris edocti, ſed ex rerum viciſsitudine, cum iſthæc naturalia ſint, & neceſſario accidere debeant, vt ipſimet neceſſario fatebuntur. Verum nimis diu cum Aſtrologis & rerum cognitoribus futurarum deliramus; Panætius Rhodius clauſulam imponat inquiens: *Prædicta Aſtrologorũ rejicienda: Archelaum enim & Caſſandrũ ſummos Aſtrologos, cum in ceteris Aſtrologiæ partibus excellerent, hoc prædictionis genere non vſos.*

 Super-

Superſunt influxus, inclinationes, genituræ, caſus, & multa alia. Hieronymus Cardanus, Mediolanenſis, vir eruditiſſimus, animoſe ſatis atq; iracunde caput decimum tertium libri primi de Rerum varietate, contra negantes ſyderum influxus ita incipit: *Influxum ſyderum eſſe nemo dubitare debet: eamq; vim occultam, qua omnia mortalia reguntur: quamuis quidam omnino improbi & ambitioſi, longe magis Eroſtrato impij negauerint. ille enim vanæ gloriæ cupiditate & perpetuitatis hominis Epheſiæ Dianæ templum exuſſit. quod, quanquam egregium & pulchrum eſſet, nihilominus temporis decurſu interiturum, & nullius vtilitatis humano generi, dæmoniq; cuidam, aut ſimulacro dedicatum. At iſti veritatem ipſam natura perpetuam, deoq; ſacratam & humano geri vtiliſſimã, evertere ſola ambitione inani conantur. Et tamen ille meruit, vt ſuppreſſo nomine, cujus ſtudio tantum facinus perpetrarat, diris cruciatibus extingueretur. Quid igitur hi, tantorum malorum authores promerebuntur? Itaq; cum conſtet, tot tantaq; præter ſpem atque communem naturæ vſum evenire, neceſſe eſt, ea omnia in aliquam referre cauſam.* Tum refert plurima, quæ apud ſe cauſam naturalem non nanciſcũtur, ſed

ſed ad alias referri debent: quod nempe tot homines cum filiis, vxoribus, patria extorres fiant, imo ſponte cruciatibus ſeſe objiciant propter nouas opiniones, atque propter religionem: quod multi etiam cum ſummo labore ſint egeni & infelices, quod quibuſdam menſibus mulieres feliciter pariant, alijs vero pereant. quod corui oua hyeme, æſtate nulla ediderint, & multa ejuſmodi. At ego non video, quomodo influxus ſyderum ex his probentur, cum omnia iſta naturaliter accidant; nimirum à rerum viciſsitudine, & inæquali temperie, quemadmodum videmus. poma & juglandes, alijque fructus non ſunt annui, ſed alterni, imo meſſes, vindemiæ, herbæ, flores, aconita, loti, ſmilaces, vno anno plus abundant quam alio, in vna regione creſcũt, in alia minime. dicamne hæc à ſyderibus cauſam deriuare? nequaquã, ſed à ſolo non apto & à materie hic egente, & alibi abundante causã oriri. Syluã meliſſæ in horto florentiſsimã ſtirpitus amiſi, adeo vt nec ſiccã, nec viridẽ, hactenus hoc in loco inuenerim. eritne ideo ab aſtris ambeſa & ſtirpitus euulſa? magnæ nugæ mi medice, neſcire cauſam naturalem, quæ tamẽ, etiam-

ſi ignoremus, naturalis eſt, & velle neſcio quos inanes ſyderum influxus pro cauſa agnoſcere, vt ignorantiam noſtram tegamus. Lege integrum caput Cardani, atque oſtende, quomodo influxum ſyderum demonſtret, & eris mihi magnus Apollo. Vnde Cardanus male, & imprudenter inuehitur in negantes influxum ſyderum, cum ipſemet illum nullo modo demonſtrarit.

Marſilius Ficinus multa ſcripſit de ſyderibus, & modum tradidit, quomodo ab aſtris poſsint attrahi eorũ influxus, quos non probat, ſed ſupponit. Si quis me doceret, quid ſit influxus, minam ſane ei darem, vt olim Diogeni dialectico dabatur: nam ſi ſcirem, quid ſit influere, tenerem plane ſecretum Aſtrologiæ. Influo latine ſignificat intus fluo, quaſi in interiori & ſepto loco. Aſtrologice vero influo, vt quidem opinor, ſignificat concurro, communico, adjuuo, conſeruo, viuifico, nutrio, operor, imo omnia perago. nihil enim eſt in rerum natura, ſecundum iſtos, quod ſuum eſſe ab aſtris nõ participet. ergo influxus eſt omnis actionis quoddam velut flumen, quod homines, animas, viuentia omnia, metalla item, montes, flu-

fluuioſque & cælum ipſum riget. Non miror, ſi poëtæ ſydera deos finxerint, nam omnia poſſunt, adeo vt Maternus Aſtrologus audacter ſcribat, Saturnum in Leone conſtitutum efficere longæuos, quorum anima poſt mortem cælum conſcenſura ſit: Albumaſar addit: Deo ſupplicantem hora, qua Luna cum capite Draconis Ioui conjungitur, impetrare quidquid petierit. Iulius Firmicus aſtronomus, aſſerit, Geneſim, qua natus eſt Plato, ſignificare virum, qui mirabili eloquentia polleat, cæleſtique ingenio ad omnia ſecreta diuinitatis accedat. Nonne hoc eſt, multa poſſe? Sane ſi Saturnus (vt tandem me explicem) cum leone vitam meam producat, ſi animã meam ad beatitudinem conſequendam juuet, oportet mihi aliquid de ſuo tribuat, & ita me regat, quo morbos & vitæ errores corrigam, mores vero, actuſque ad vitam æternam ſalutares in anima mea efficiat; ſed Saturnus non viuit, nec vſquam eſt gentium, nec leo, quomodo mihi annos vitæ protrahent? quomodo animam in ſtatu vitæ cæleſtis digno conſeruabunt? ſi nihil ſunt, quomodo influent? influere denotat aliquid, quod ab vno ter-

mino ad alium tranſit. Si ſit qualitas quædam id quod fluit, oportet neceſſario ab vno ſubjecto ad aliud ſubjectum migret. Sed nulla qualitas diſcedit à ſubjecto, in quo ante non erat. Ergo neceſſario aſtra debent habere in ſe primo id quod influunt, ſeu quod communicant. putaſne actiones morales ab aſtris mutari & augeri poſſe? quid leo ad beatitudinem, tam ferum animal, quid Luna, quid caput Draconis, horrendum monſtrum, ad noſtras preces? anne Deus hæc figmenta curat? quaſi vero ipſe Deus per influxum harum nugarum ad miſericordiam magis, quam per demiſsi animi ſupplicationes moueatur. Dices, aſtra & conſtellationes non quidem hæc præſtare, ſed tantum velut diſponere, ad bene viuendum, ad frequentiores preces, ad bonam & congruam victus rationem, ex qua diſpoſitione homo poſtmodum ſibi attentus diu viuit, & poſt mortem felix redditur. Reſpondeo: idem eſſe diſponere, atque ad aliquid incitare, quod enim ſubjectum aptum ad actiones, ſeu formas recipiendas diſponit, jam omnino agit, & cauſa eſt effectus hinc reſultantis. vnde aſtra eſuriunt, edunt, bibunt, prandent,

dent, cænant ipſamet, ſi mę ebrium, edacem, & famelicum volunt, alias qualitas eſuritionis, ebrietatis, & edacitatis mihi ab aſtris non communicaretur, non influeret, non diſponeret. Quod anſam præbuit ridendi famulo in Amphitruone apud Plautum ſecum loquenti:

Credo equidē dormire ſolē, atq; appotum probe,

Mira ſunt, niſi inuitauit ſeſe in cœna pluſculū.

Ita dico ego, ſi aſtra in nos agant, in nos agunt vt ſunt, nempe aut viua aut vitæ experria. Viua non ſunt, nam nemo ſanus dixerit, Lunam viuere, Saturnum, Mercurium, & reliqua. quod autem non viuit non eſt capax alterationis, ſenſus aut motus, aut alterius facultatis naturalis. ergo nullius influxus, cum Marſilius ipſe fateatur, cæleſtia non per qualitates elementares agere, ſed per occultas. Has vero jam olim negauimus. ſi enim careant qualitatibus elementaribus, carebunt & occultis, quia quod minus non poteſt, majus non poterit. imo, ſi in nos agerent, neceſſario per qualitates elementares agerent, cum id, ad quod nos mouent elementare ſit. Cum iraſcor, fit ex abundantia bilis. ſi aſtra me ad iram concitent, concitabunt per id,

 per

per quod fit ira. ira vero fit ex bile. bilis elementaris eſt. ergo aſtra per quid elementare iram influent. Ceterum te non ita ineptum & ſimplicem credo, jocunde lector, vt exiſtimes, imagines cæleſtes, ſeu figuras animalium re ipſa in cælo reperiri, Saturnum nempe ſub ſpecie Senis, Iouem cum fulmine, Venerem cum puero: Leonem, taurum, piſces, libram & quæ ſunt ejuſmodi: quin potius aſtra per figuras & imagines pro captu oſtendi, vt ſi qua ſtella vel ſydus demonſtranda ſit, ad differentiam inter ſe hac vel illa effigie poſsit connotari. Vnde vanitatem intelligis illorum duodecim ſignorum, quæ vnicuique parti corporis humani attribuuntur, quemadmodum à Manilio recitantur:

——Aries caput (eſt ante omnia princeps)
Sortitur: cenſuſq; ſui pulcherrima colla
Taurus, & in Geminis æquali brachia ſorte
Scribuntur connexa humeris, pectuſq; locatum
Sub Cancro eſt, laterũ, renum, ſcapulaq; Leonis,
Virginis in propriam deſcendunt ilia ſortem,
Libra regit clunes, & Scorpius inguine gaudet,
Centauro femora accedunt, Capricornus vtriſq;
Imperat in genibus: crurum fundentis Aquari
Arbitriũ eſt, Piſceſq; pedum ſibi jura repoſcunt.

Cur

Cur nō & duodecim menſes addidit, vt aries cum Martio capiti præeſſet, taurus cum Aprili collo, Gemini cum Majo vtrique brachio, & ita deinceps? cum non ſit potior ratio cur ſigna partibus humanis attribuantur, quam menſes. adeo vt caput nunquam agitaretur quam in Martio, cui præeſt Aries, collum nunquam fieret tumidum niſi in Aprili, brachia nunquam dolerent, niſi in Majo, & ita de ceteris. quæ porro proprietas arietis cum humano capite? cum ſit veruex ſtupidum animal & hebes? vix cuiquam animalium minus cerebri, quid ergo humano capiti proderit? quid taurus cornutus collo? quid Gemini blanditiæ brachijs? quid cordi cum cancro? num cor eſt retrogradum? neſcio ſane in quo cor cum cancro conueniat. dij boni, latera humana, renes, ſcapulæ, quid leonis habēt? ilia vero cur virgo regit? an clunes ſunt bilances? quid inguini cum punctura Scorpij? forſan Sagittarius femoribus additur, quod curuo poplite gaudet? cur Capricornus præeſt genubus, aquarius cruribus, piſces pedibus? *dic aliquem ſodes, dic, Quintiliane, colorem.* dic, obſecro, hæc ne humanum corpus regunt? in hiſne valitudo, ſani-

tas, miſeriæ, gaudia, lachrymæ, animæ beatitudo conſiſtit?

Heu Vatum ignaræ mentes! quid vota furentem,
Quid delubra juuant,

ſi ab aſtris, dico ab iſtis animalibus, aliiſque rebus inanimis ſalus & ſanitas, ceteraque felicia omina exſpectanda ſunt! fruſtraneæ ſunt preces, cum ab his aſtra non moueãtur, fruſtranea medicina, cum pharmaca in ſe adhibita reſpuant. quid ergo? forte omnia fieri, ſi hæc admittantur, neceſſe eſt.

Dicant igitur Aſtronomi quidquid voluerint, de ſyderibus, fingant domos, poteſtates, conjunctiones, aſpectus orientis, occidentis, Augis, triplices, ſextiles: ſeligant fauentes, amabiles, deſpectos, rejiciendos aſtrorum conatus, nihil erunt, niſi nugæ, & operationum cæleſtium velut quædã mendicabula. Dic, mi medice, ſi ægrum curaturus cum aſsiſtentibus cubiculum eius intrares, nihilque aliud ageres, niſi cum his variis modis ægrum aſpiceres, tu quidem velut Sol, vel Luna, vel Mercurius, vel Venus principatum, primamq; poteſtatem habens, ceteri vero velut alia ſydera in aſpiciendo juuantes, taciti penes te aſsiſterent, ægrum putares

putares conualiturum? reſpondebis, minime. Quid vis ergo cæleſtia ex ſolis & varijs aſpectibus in ægris, & in medicinis efficiant? fruſtra itaque hæc omnia obſeruantur, fruſtra aſtrorum influxus in re medica creditur. fruſtra ſol, qui ſecundum aſtrologos poteſt omnia, quando ſub ariete fuerit in leone, ipſum aſpiciente luna, maxime in leone, ad ſpiritum noſtrum vegetandum, vt morbis reſiſtat, exſpectatur. fruſtra nos Aſtrologi monent, luna conjuncta cum Venere, medicinam lax mouere, in pituita tamen augeſcente, eam cum ſole obſeruari: in bile evacuanda ipſam cum Venere, vt tamen directio Lunæ ad Iouem fiat, atque ſic conferre ad communem hominum complectionem inſtaurandam & firmandam. Monét etiam, ſed fruſtra, vt ſi velimus corpus mouere ſolidis medicinis, accipiamus piſces, liquidis, ſcorpionem: medijs, Cancrum. per inferiora purgaturi, piſces & ſcorpium, per ſuperiora cancrum: malum eſſe Saturni vel Martis ad Lunam aſpectum: illum enim vexare ſtomachum, hunc inteſtina diſſoluere: Capricornum vitari, taurumque, nauſeam enim efficere. Fruſtra, inquam, iſta conſyderantur,

derantur, cum virtus medicinalis ſemper eadem ſit, ſeu capricornus ſubſultet, ſeu taurus mugiat, ſeu pungat ſcorpius, ſeu cancer remeet.

Objicis maris æſtum cum luna accedentem & recedentem, homines lunaticos, comitiales, maniacos, marceſcentes, felium pupillas cum luna plenas aut vacuas, conchylia cum luna creſcentia, & decreſcentia, fibras ſoricum lunæ reſpondentes, & multa ejuſmodi. Teſtimonia certiſsima dari lunæ aliorumque ſyderum influxus. Adde Valeſci de Taranta probationem, qui libro tertio, capite quinto ſui Philonii dicit, quando luna eſt in cancro, maxime in plenilunio, poſt vnum vel duos dies, aſthmaticos & tuſſientes ex copia phlegmatis magis aggrauari, eo quod illud ſignum partibus pectoris dominetur, atque grauatos hujuſmodi affectibus, quaſi hoc tempore ab humore ſuffocatos quandoque interire. item libro ſeptimo, capite duodecimo inquit: *vt morbi acuti judicantur per motum lunæ, ſic & chronici per motum ſolis.* Ergo ſydera nos regunt, ergo influunt. Reſpondeo: etiamſi luna non eſſet, maria tamen æſtuarent, darētur comitiales, maniaci,

maniaci, hypochondriaci; tum felium pupillæ eodem modo ampliarentur, conchylia pingueſcerent, tot eſſent ſoricum fibræ, quot nunc ſunt. Aſthmatici & tuſsientes eodem modo quo nunc ægrotarent. quare? quia horum omnium talis eſt propria natura, vt ſic & non aliter fiant. quis regit typum tertianæ? quis aliarum febrium? harum paroxiſmi accedunt & diſcedunt, quomodocunque ſe luna habeat. Si talem concedis naturam febrium, cur non & ceterorum morborum eandem naturam admittas? nemo prudens dixit hactenus, febres à luna fieri, cur alij morbi à luna fient? imo luna ſemper eſt eadem, non major nec minor, nunquam fortior aut debilior, nunquam plena, aut dimidia, & vt ſummatim dicam, *Luna non creſcit.* Quaſi vero id à Luna fiat, quod cum ipſius conuerſione conueniat; ego hominẽ occiderim, quod ei comes adſtiterim. Ideo comitiales à luna tales fiunt, quia nouilunio cadunt, ac ſi alio tempore non caderent. Et ſi Luna ipſa langueat, ſecundum Pindarum, à qua cauſa languebit? mantica plena nugarum! Maris vero æſtum à luna fieri, nihil poteſt dici abſurdius, contrario enim motu

fertur in Oceano, alicubi ab occidente in Orientem, alibi à meridie in ſeptentrionem, in mediterraneo nullibi, quod ſciam, æſtuat, niſi in ſinu Adriatico. Tum non ſolùm quã-do luna creſcit, vel decreſcit, vt volunt, mare æſtuat, ſed ſingulis viginti quatuor horis ſeu luna dormiat, ſeu vigilet. Qui hæc docent, mare forte non viderunt, nec experti ſunt. Ego quidem merito cum illo apud Terentium dixerim:

——— ô fortunate, neſcis, quid mali
Præterieris, qui nunquam es ingreſſus mare.
Nam alias vt omittã miſerias, vnã hanc vide:
Dies triginta, aut plus eo in naui fui,
Cum interea ſemper mortem exſpectabã miſer,
Ita vſq; aduorſa tempeſtate vſi ſumus:

magnam enim partem mediterranei difficilime emenſus, Columnas Herculis tranſgreſſus, tandem Batauorum portum Texelium tenui. Ibi ab imo arena in æſtu ſubuertitur, & contrarium fluxum mare tenet. credis hoc à Luna fieri? agat luna quidquid voluerit, mare æſtuabit, vt conſueuit, morbi vero ſemper tales erunt, quales fuerunt. Vnde pertinacißime concludo: *Aſtronomiam eſſe ſcientiam curioſam, ſubtilem, medico vero*

magis

magis damnoſam quam vtilem. Quod ſi iſta tibi diſpliceant, jocunde lector, & male pinxerim, cum Pauſone pictore tabulam inverte. Ille enim conduxerat pingendum equum, qui ſeſe volutaret; pinxit currentem. & locatore inique id ferente, ridens tabulam inuertit, vt inferis ſursũ elatis partibus equus jam non currens, ſed volutans ſeſe videretur. Ita, inquam, ſi faſtidias, tabulam inuerte.

Vtrum Antiqui Medici, vel Recentiores melius curent,

CAPVT V.

QVemadmodum artium mechanicarum tyrones ſibi aliquem præſtantem artificem imitandum proponunt, vt poſthac operam ſuam majori lucello locare poſsint, & quemadmodum ad honeſtæ vitæ normam viros probos celebreſque præ ceteris exemplar ſibi ſtatuunt, ita juniores medicos, inter infinitum numerum, tam antiquorũ, quam recentiorum, paucos quidem, ſed doctiores, atque in arte medica præſtantiores ſibi ad imitandum ſeligere oportere arbitror. Si enim familiares Platonis curuitatem ipſius imitati ſunt, & balbutiem Ariſtotelis, & Ale-

Alexandri regis colli inflectionem, inque dicendo aſperitatem, quanto magis medicos juniores magiſtrorum ſuorum prudentiam, doctrinam, in medendo dexteritatem ſequi, & diſcere atque adfectari oportebit? niſi ſeſe velint & dijs atque hominibus exoſos. Tanta vero eſt ſectarum medicarum varietas, vt mihi cum Plinio mirum & indignũ ſubeat, nullam artium medicina inconſtantiorem fuiſſe, & etiamnum ſæpius mutari. Dijs primum inuentores ſuos aſsignauit, & cælo dicauit. nec non & hodie multifariam ab oraculis medicina petitur. Auxit deinde famam etiam crimine, ictum fulmine Æſculapium fabulata, quoniam Tyndaridem reuocauiſſet ad vitam. Sequentia eius in nocte denſiſsima latuere vſque ad Peloponneſiacum bellum: tunc eam reuocauit in lucem Hippocrates. Prodicus deinde Selymbriæ natus, diſcipulus eius inſtituens quam vocant Iatralipticen, reunctoribus quoque medicorum, ac mediaſtinis vectigal inuenit. Horum Placita Chryſippus ingenti garrulitate mutauit, plurimumque etiam ex Chryſippo diſcipulus ejus Eraſiſtratus Ariſtotelis filia genitus. Alia factio ab experimentis ſe cog-

nominans Empiricen cæpit in Italia Acrone Agrigentino Empedoclis phyſici authoritate commendato. Diſſederuntque eæ ſcholæ, & omnes eas damnauit Herophilus, in muſicos pedes venarum pulſu deſcripto per ætatum gradus. deſerta deinde & hæc ſecta eſt, quoniam neceſſe erat in ea litteras ſcire. Mutata & quã Aſclepiades inuenerat. Themiſon eius auditor poſtea in ſua præceptoris ſcripta tranſtulit.

Manſere diu ſectæ tres famoſiores, Coa, Gnidia, Italica. Periere & hæ, vſque dum Galenus Pergamenus Hippocraticam, id eſt, Coam reſtituit. qui ſane Hippocrates, ob difficilem modum res medicas tractandi ſperni ceperat, niſi comẽtarijs Galeni eius ſcripta plana & intelligibilia reddita fuiſſent. Ideo ad noſtra vſque tempora doctrina ſectaque Hippocratica & Galenica manſit. Cui deinde immixta fuit ſecta Arabica, ob ſyluam medicamentorum apud ſe naſcentium, clara acceptaque etiamnum in ſcholis colitur. Nunc vero, cum omnes priſca nauſeent, quot noſtra ætate medicinæ nouatores, quot interpolatores, quot Agyrtæ, quot Iudæi, quot Sacerdotes, quot anus, quot omnis generis

generis homines infames adyta medicinæ perrumpunt? vt bene dixerit Ioannes Langius: *Pudet fateri, ſolos in toto orbe terrarum Germanos cuilibet Apoſtatæ, ſacrificulo, Agyrtæ, Carnifici, perfidoque Iudæo profitenti ſe medicum, corpus & vitam concredere.* Nemo jam ſcientias curat, principia medica omnes rident, præcepta ſibi, modoſque curandi inueniunt, imo omnia omnes inuertunt, atque impoſturæ, & garrulitas principia tenent. Quis author iunioribus medicis legitur? non qui plus doctrinæ, ſed qui plus *Receptarum* habet, quaſi vero in multitudine Receptarum tota ars medica conſiſtat. Ridemus antiquos, vel vt ſeueros, vel vt ignaros, & nihil in medicina placet, niſi quod quipiam nouator inuenerit. Sed hic nihil inuenit, imo corrumpit, & abſcondit, tranſponit, inuertit, & ſolum authoritatem veterum ſpernit, quia ignarus eſt, ideo eorum ſcripta abjicit, quia non intelligit. Dic mi medice, quot noui authores ſunt, qui plus calumniantur, quam doceant? quibus etiam recepti ab omni æuo medicinæ termini, & loquendi formulæ ingrata & faſtidioſa ſunt? priſcos reprehendunt non in ijs in quibus reprehendendi eſ-

ſent,

ſent, ſed in ijs in quibus optime ſapiunt, adeo vt eorum doctrina nihil aliud ſit, quam diſceptationes, quæ lites moueant, contentiones, quæ ad conuicia prouocent. Rident deinde, ſi quis calidi, aut frigidi mentionem faciat, tanquam balneatoribus magis, quam medicis ea nomina conuenirent. hinc fit, vt medicina in nullo proficiat, & magis magiſque in dies erronea videatur: nam nemo noſtrum in altum deſcendit, ſumma tantum decerpimus, exiguumque temporis impendiſſe medicinæ ſatis abundeque occupatis fuit. Et multi ex ſtudiorum medicinæ vana oſtentatione, & nihil ſonantibus litteris gaudium quærunt, ſed ſupervacuum & nullum. Adjuuare nos poſſent non tantum qui ſunt, ſed qui fuerunt. Ex his, qui ſunt, ſi eligeremus non eos, qui verba magna celeritate præcipitant, & communes locos voluunt, & in priuato circulantur, ſed eos, qui cum dixerint quid faciendum ſit, probant medicatione ipſa, quod docuerunt. Ex his qui fuerunt, ſi eorum inuentis crederemus, & eorum acre judiciũ non ſperneremus, neque eorum ſcripta obiter percurreremus, aut voces hinc inde auulſas, & dictiones abſque

ſcriptura

ſcriptura adordiremur, itaque fraudem non imperitis modo, ſed nobis ipſis faceremus: antiqui enim inuenta à ſe, & inuenienda nobis reliquerunt. Ideo plerumque fit, vt Bion vrbane dixit, ſicut Penelopes proci, cum non poſſent cum Penelope concumbere, rem cum eius ancillis habuiſſent; ita qui artem medicam nequeunt apprehendere, ij in alijs nullius pretij diſciplinis ſeſe conterunt. Verum non mirum tibi videatur, ſi ars medica propter varias ſectas in circulum impellatur, quemadmodum enim *mores, conſuetudines, opiniones, cupidines, voluptates, dolores, atq; timores, continue permutantur, neq; quidquam ex iſtis idem, & ſimile perſeuerat, ſed priora quidem abolentur, noua vero ſuccedunt; ita ſcientiæ & artes, non ſolum aliæ euaneſcunt, aliæ ſurgunt, neq; ſemper ſecundum ſcientias ijdem ſumus, verum etiam vna quæuis ſcientiarum idem patitur. quod enim dicitur meditari, quaſi exierit, ſcientia dicitur, obliuio namq; ſcientiæ exitus eſt. meditatio vero nouam memoriam ſemper abeuntis loco reſtituens ſcientiam ſeruat, vt eſſe eadem videatur.* Si autem noſtri authores medicinam rurſus in priſtinum reſtituerent, nihil mali pateremur, cum eius principiorum

obliuio

obliuio ſolum exiret, rediret vero cum meditatione recte dictorum memoria, atq; non ſolum ſpecioſi librorum tituli, & Inſcriptiones, propter quas vadimonium deſeri poſsit, & vel lactis gallinacei ſperare poſsis hauſtũ, aliquid vtilitatis afferrent, ſed & diſsidia, ſophiſticæque propoſitiones, & jugera nominum, vt ſunt Perſarum voculæ, æternum ſublata crederemus. Tot vero ſunt in arte medica ſcriptores ſophiſtæ, vt merito ſibi vnuſquiſque junior ab his cauere debeat: qui enim, ait Galenus, in prauæ doctrinæ ſecta eſt altus, hic geminum tempus requirit, alterum, in quo prauas opiniones dediſcat; alterum, in quo melioribus ſe exerceat. Ad hoc nos monet Plato inquiens: *Cauendum eſt, ne, dum laudat Sophiſta, quæ vendit, nos decipiat. vt faciunt qui corporis epulas vendunt mercatores quidam & caupones. laudant & illi quidem ſua omnia, neq; intelligunt, vtrum ſalubria ſint, an noxia corpori, quæ vendunt, idq; ignorant, & illi qui emunt, niſi forte illorum aliquis medicus ſit, aut gymnaſticus. Haud ſecus illi, qui diſciplinas varias per vrbes venales circumferunt, & cauponantes eas emptoribus vendunt, laudant omnes, ac fortaſſis nonnulli eorum ignorant ſæpe,*

quid vtile animo ſit, quidve inutile ex his quæ vendunt: ſimiliter quoq; qui ab illis emunt, niſi illorum aliquis ſit animi medicus. Si ergo intelligis ipſe, quid ex his proſit, quidve obſit, tuto emere diſciplinas, & à Protagora, & ab alio quouis poteſ. Alioquin caue, ne in ſummum jacturæ diſcrimen, quæ tibi chariſſima ſunt, deducas. nam longe grauius periculum eſt in diſciplinis, quam in cibis emendis. Etenim qui eſculenta emit, & potulenta, poteſt, antequam his veſcatur, in alijs quibuſdam vaſculis illa domum deferre, ibiq; depoſita diligenter examinare, & aduocato aliquo iſtarum rerum perito, quid edendum bibendumve ſit, quid non, quantumq;, & quando, deliberare. quamobrem haud graue eſt in emendo periculum. diſciplinas autem non licet alio in vaſe transferre, ſed neceſſe eſt, vt, qui emit, eas animo capiat, & relicto pretio habeat, intra ſe ferens, vel inquinatus jam, vel ad meliora provectus. Putamus quandoque, nos optimis authoribus inhærere, quamuis in ſe ſint exangues, eo quod propter ambitionem pruritumque ſcribendi callide obſcureque ſua obfuſcent; ſed poſtquam eorum ſcripta mature examinauimus, quamprimum cum poëta exclamamus:

ô machinatrix lynce verſipellior,

Quid ludis, & ſupercilium quid contrahis,
Fraudemq; texens te ſimulas verum loqui?
nihil enim intus reperimus, quam veterum reprehenſiones, ſua pro veris obtrudentes, atque eorum gloria jactantiaque eſt *Inflata ceu veteris lanugo Cardui.* Quorundam lucubrationes multum temporis requirunt ad legendum, & poſt lectionem nihil proficimus, damnumque otij ſolum ſupereſt. his *vtilius dormire fuit, quam perdere ſomnum atq; oleum,* vt ait Auſonius: non enim animum ab vtilibus, & magis neceſſarijs auerterent, ſtudiis medicinæ non ſufficiente vita.

Illud in medicinæ nouatoribus abſurdum eſt, & res prorſus riſu digna, *omnem velle tradere doctrinam, nullam noſſe.* haud ſecus iſtiuſmodi hominibus accidit, quam Megabizo Perſæ, cum in officinam Apellis pictoris deſcendiſſet, & neſcio quid de arte dicere cepiſſet, ſilentium impoſuit Apelles his verbis: *quandiu tacebas, exiſtimabare aliquid eſſe ob auri, & purpuræ ornamenta: at nunc te nugantem etiam pueruli iſti ochram terentes derident.* Ita iſti artis medicinæ nouatores, tum omnes temerarij ſcurræ, ſi nuſquam gentium eſſent, bona fortuna foret, vel ſi vſpiam

 eſſent,

eſſent, fulloniam, aut quamcunque aliam ſellulariam exercerent, ne medicinæ pictu-ras contaminarent. Hac ſegete pejor in dies ſuccreſcit Empiricorum, ſeu potius Receptatorum, qui vnicuique morbo medicamentum proprium, nulla prorſus habita ratione principij, incrementi, vel declinationis morbi, aut ejus ſymptomatum audacter adhibent, clamantes, non diſcurſus, non rationes, non tempus, non dies, ſed medicamenta morbum tollere. Hinc nata eſt infelix illa hiſtrionum vaga peregrinatio, circo publico abutentium, vbi totis diebus ſiticuloſi garriunt, & ſpem macram à vulgo expectant. Hos ita deſcribit Hippocrates: *Adoleſcentes ijs ſeſe committunt, vbi vero adoleuerint, præ pudore eorum conſpectum ſine ſudore non ſuſtinent. At ſenes effecti propter amarulentiam eos publica legum ſanctione vrbibus expellunt. Ji enim conuentu facto, ambitioſa & quæſtuoſa ſua profeßione decipientes in vrbium circulis verſantur: quos ex veſtitu & ceteris ornamentis quis cognoſcere poterit.* Hæc factio hodie primatum tenet, propter ignorantiam medicorum, atque damnandam oſcitationem, dum nihil magis curant, quam Receptarum ſupellectilem,

lem; quaſi vero morbus ipſe optime cognitus medicamentum ſibi aptum non indicet.

Vltima medicorum factio, ab Arabia, & Ægypto redux eſt Chymia; felix ſi nunquam nata, infelix, quia paruit. hanc ab Hermete deriuatam volunt, cujus poſtmodum principes fuerint Zoroaſter, Geber, Pythagoras, Plato, Democritus, Empedocles, Ariſtoteles, Raymundus Lullius in Inſulis Balearibus monachus, Arnaldus Villanouanus, Petrus Bonus Lombardus, Theophraſtus Paracelſus, Quercetanus, Oſuualdus Crollius, Petrus Seuerinus Danus, Angelus Sala Vincentinus, Bernardus Penottus Gallus, Iſaacus Holandus, & alij infiniti variarum nationum authores. Zoroaſter à Plinio magicæ artis author dicitur, non Chymicus, jam ſex millibus annorũ ante Platonis mortem celebris. Pythagoras, Empedocles, Democritus, Plato ad hanc artem diſcendam nauigauere, exiliis verius, quam peregrinationibus ſuſceptis. hanc reuerſi prædicauere, hanc in arcanis habuere, non autem Chymiam, aut Alchymiam, vt volunt noſtri moderni Chymici, qui apud hos viros illuſtres, excellenteſque philoſophos ſuarum nu-

garum patrocinium quærunt, atque authoritatem. Sunt qui ſententias omnes, doctrinam, dictaque & facta omnia iſtorum virorum complexi, ne quidem de Chymia iſtorum philoſophorum ſomniauerunt. cur vero hujus artis obliti eſſent, cur tantum beneficium vniuerſo denegaſſent. Referunt ſecreta ſecretorum Ariſtotelis, quorum nemo vir ingenuus vnquam vel litterulam vidit. Secreta Alberti meræ nugæ ſunt, Thomæ Aquinatis Alchymia cantilenam aliorum recitat. adeo vt primos authores ſuos oſtendere minus poſsint, quam formicarum oculos. Quaſi vero commentaria hujus artis intercidiſſent, præcipue apud Græcos, qui minutiſsima quæque, vſque ad reſegmina vnguium, ad quid prodeſſe poſſent, examinarunt. Iſtorum libri vtiliores fuiſſent, quam Platonis, & Ariſtotelis ſcripta, atque Empedoclis carmina, tum & Pythagoræ harmoniæ numerique; omnia enim ex Chymia didiciſſemus. dicunt namque, ſe veram habere notitiam rerum, nos circa cortices hærere, nucleum vero nunquam arripere. Ideo Tabulam Hermetis Smaragdinam, Gebri ſummam, Raſis librum perfecti myſterij, &
aliorum

aliorum ſcripta tantopere celebrant, ac ſi ſoli arcana naturæ continerent. At, cum intraveris, Dij Deæque quam nihil intus inuenies: poſtquam enim librum chymicum legiſti, mi medice, ſtultior atque ineptior librum abjicis, & plenus mœroris atque pænitentiæ doles, quod tempus perdideris. credis item, te ſomnia legiſſe, aut inuenta ænigmata, aut vafrorum virorum impoſturas & fraudes, quibus multi viri egregij & ſcientijs, & pecunijs priuantur. Atque iſti authores identidem occinunt, multa eſſe, quæ quidem eſſe concedimus, qualia vero ſint nos ignorare: oportere itaq; per pyrotechniam quærere qualitates interiores rerum, neque aliter has hominibus patere. Rerum naturam ſacra ſua non ſimul tradere: illa arcana, operationes chymicas ſcilicet, non promiſcue, nec omnibus cognoſci, reducta etiam in interiore ſacrario clauſa eſſe, ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ poſt nos ſubibit, aſpiciet. Adeo nihil inuenitur ex his quæ parum inueſtigata antiqui reliquerunt, vt multa quæ inuenta erant, obliterentur. At, mehercule, ſi hoc totis membris premeremus, ſi juuentus ſobria incumberet, hoc majores

docerent, hoc minores addiſcerent, vix ad fundum veniretur, in quo veritas poſita eſt; quam nunc in ſumma terra, & leui manu quærimus. adeo vt ſcitiſsime dixerint olim Socrates, Democritus, Anaxagoras, Empedocles, *nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe: anguſtos ſenſus, imbecillos animos, breuia curricula vitæ, opinionibus & inſtitutis omnia teneri, nihil veritati relinqui, deinceps omnia tenebris circumfuſa eſſe*: non enim Chymiam, veram rerum cognitionem tradere, intellexerant. poſtquam autem hæc reuocata fuit in lucem, omnia lucidiſsima facta ſunt; eſſentiæ rerum intimæ patuerunt, ſolideque hactenus ſoli chymici ſapuerunt. Merito ergo Petrus Seuerinus, Danus, Paracelſi fautor maximus, nos ad chymiam addiſcendam his verbis admonet. *Ite filij, vendite agros, ædes, veſtes, annulos, comburite libros, emite calceos, montes accedite, valles, ſolitudines, littora maris, terræ profundos ſinus, inquirite: animalium diſcrimina, plantarum differentias, mineralium ordines, omnium proprietates, naſcendi modos notate: ruſticorum aſtronomiam, & terreſtrem philoſophiam diligenter ediſcite, nec vos pudeat: tandem carbones emite, fornaces*
con-

conſtruite, vigilate, & coquite ſine tædio: ita enim pervenietis ad corporum proprietatumq́ cognitionem, alias non. Quid ad hæc, mi medice? *dat ſine mente ſonum, voces & fundit inanes.* melius monuiſſet, ſi dixiſſet: cauete vobis ab impoſtoribus, qui junioribus medicis nihil aliud quam fraudes ſtruunt, qui ſpecioſa & plauſibilia ſcribunt, & tamen nihil docent; qui ſolum alios ad ſtudium Chymicum alliciunt, vt ſecum pereant; qui per ambages, ſigna, ficta verba, æquiuoca, obſcura, ſua dogmata non illuſtrant, ſed obſcurant, hoc prætextu nequiſsimi, quod non oporteat porcis objicere perlas: ita ſcientiam chymicam, ſi qua eſt, invidentes aliis, vel vt verius dicam, decipientes alios, fingunt docere, quod ipſi ignorant. præcepta enim certiſsima artis tradere nõ poſſunt, cum nullis principiis certis, & euidentibus nitantur, & ſit Chymia caſualis, ſiquidem perſæpe illud accidit, quod minus putabatur. Arceſilas Polemonis auditor, copia rerum, & dicendi vi, ac ingenij acumine plurimum valens, multa aperte perſpicueque & peruerſa, & falſa perſuaſit: Chymici vero multa, non rerum copia, aut ingenij acumine, ſed varijs

 expe-

experientijs; ſuppoſitis falſiſsimis perſuadere volunt, non aliter veritatem artium & ſcientiarum, tum metallorum proprietates, quam coquendo, ſoluendo, corrodendo; quam per carbonariam fieri poſſe. quaſi vero rerum omnium proprietates, ante coctionem aut corroſionem non præexiſterẽt, cum formæ rerum, proprietates, virtuteſque de potentia ſubjecti eruantur. Proprietates ſenæ purgandi, & Rhabarbari, non coctione primo fit, ſed jam in ſena, & Rhabarbaro fuit, & ſic de aliis rerum virtutibus. Quod vero Chymia, ſeu Alchymia, ſeu Spagyria, vt vocant, non ſit ars, neque ſcientia, ſed tantum caſus quidam operationis exſpectandus, patet ex verbis Petri Lombardi, in ſua Margarita pretioſa ita dicentis: *Et eſt ſciendum, quod ars iſta quaſi ſola inter omnes mundi, in ſui doctrina vtitur nominibus proprijs, & extraneis, & inuſitatis, & allegorijs, & ænigmatibus, & metaphoris, & æquiuocationibus, & tranſumptionibus, & involucris, & proſopopœis, & hyperbolis, & ironiis, tam practice, quam ſpeculatiue, cum ipſa omnes artes & ſcientias ad ſe trahat, & immiſceat ſe eis: propter quod neceſſario eſt difficilis valde & occulta, nec non ardua,*

dua, & tenebroſa, &c. Ex his ſic concludo: Termini non intelligibiles nullam artem denotant aut ſcientiam, ergo Chymia non eſt ars, neque ſcientia; quia vtitur terminis non intelligibilibus, vt patet inductione. Termini extranei, inuſitati, allegorici, ænigmatici, metaphorici, æquiuoci, tranſſumptiui, involucris, proſopopœis, hyperbolis, & ironijs pleni non ſunt intelligibiles, quia vnuſquiſque aliter atque aliter aut explicat, aut intelligit; termini vero ſcientifici, aut artificiales nunquam aliud ſonant, aliud ſignificant, ſed ſemper idem ſenſus, & idem ſignificatum eſt. Nulla ſcientia, vel ars poteſt doceri, niſi intelligantur termini, per quos ſcientia aut ars docetur. Termini Chymici non intelliguntur, ergo Chymia non poteſt doceri. ſi non poſsit doceri, ergo Chymia caſus eſt. Dicit quidem ipſe Lombardus, Alchymiſtas, ſi vellent, docere poſſe totam artem ſex aut duodecim lineis, ſed hoc impoſſibile eſt, cum termini ſoli ſuperiores recenſiti librum integrum requirerent, vt explicarentur. Morienus aliter ſentit inquiens: *Sunt autem libri hujus artis ſub figura compoſiti omnes, quorum pars major multum obſcura vi-*

detur, neq; fere niſi à ſuis compoſitoribus intelligi poſſunt, & qui per ejus inquiſitionem libros circuit, tarde ipſam inueniet. Si libri conſcripti à ſolis compoſitoribus intelliguntur, quare ab aliis leguntur? quare fruſtra in illis legendis tam diu tempus teritur? Nihilominus iſti veri philoſophi audacter atque impudenter affirmare audent, Trinitatem ex cognitione Alchymiæ poſſe cognoſci. Inter hos Petrus fidenter ita loquitur: *Et credo firmiter, quod, quicunq; infidelis hanc artem diuinam veraciter ſciret, fieret neceſſario fidelis in Trinitate Dei, & crederet in Chriſto Ieſu filio Dei domino noſtro.* Sed hæc per ſe falſa ſunt, ergo non refutanda. Quod ſi dicas, per Chymiam mira multa effici, quæ à medico, aut philoſopho præſtari non poſſent, aurum potabile, Lapidem philoſophicum, tranſmutationem metallorum, fixationem Mercurij, & ſi quæ ſunt alia; teſtimonium certum, Chymiam eſſe ſcientiam præſtantiſsimam: conceſſerim equidem, hæc à Chymicis ſcribi, ſed non præſtari: tranſmutationem enim metallorum nemo inuenit, vt neque diu quæſitum Lapidem philoſophicum. nam ſpecies rerum non poſſunt tranſmutari, vt non ex

oue bos, ita nec ex ære aurum. Conſtat quidem æs fieri poſſe, quod argento pulchrius ſit factumque à Iuſtiniano affirmat Procopius, auri ſplendorem & colorem habens. Sed æs aurum purum factum, aut ſtannum vel marchaſitam argentum, hactenus nemo auſus eſt affirmare. Incruſtarunt multi monetarum adulteratores varia metalla, ſed ſpecies veras, ſeu eſſentiales immutaſſe non ſolum incredibile eſt, ſed nec poſsibile. quanquam Ioañes Heurnius Vltrajectenſis, vir aliàs doctus, & qui multa in re medica præſtitit, referat, Pythagoram ſibi crus ex auro factitio craſſe ſatis incruſtaſſe. quare vero marmor, aut aliud metallum aptius ad receptionem auri non incruſtauit potius quam tibiam? adeo vt mihi incruſtatio hæc ſuſpecta ſit & fabuloſa. Nec minus credibile eſt, quod refert Crollius in Præfatione ſua, puerum Sileſiacum natum cum dente deaurato in maxilla inferiori ſiniſtra, hunc à ſe contrectatum fuiſſe in ædibus Petri Vrſini à Roſis. Reddidit forte colorem auri, ex tabo pituitæ. Vult ipſe Crollius per hoc probare, vt in mineris, ita in homine aurum reperiri. quod quam verum ſit, jocunde lector examina.

Tum volunt Chymici, aurum ſuum potabile purius, defæcatius, & melius eſſe, quam minerale, & hoc potiſsimum cor confortare in morbis difficilimis, imo abeuntem vitalem auram reuocare, atque rurſus hoc auro mirifico animam in ergaſtulum retrudi, dein ſenium ab hoc impediri, mortem arceri, & multa alia, ſi quæ majora ſunt, certo fieri & adminiſtrari.

Iam vero ſi cetera medicamenta examinemus, quibus Apoplexiam, Paralyſin, Epilepſiam, Hydropa, Podagras & quæ ſunt magis difficilia ſanatu, quam celerrime, tutiſsime, jocundiſsime, non ſolum curant, ſed & auerruncant, nonne fatendum erit, hos eſſe inſignes medicos, nos vero eorum lixas, vappaſque? & merito dicet Mufetus, *Chymiæ oſores ceu haleces ſale condiendos, & poſtea in fumo ſuſpendendos eſſe, eo quod tam temere audeant de rebus chymicis judicare.* Et quanquam Chymici apud Galeniſtas, vt vocant, traducantur, tamen medici egregij ſunt: vt enim Perſicus, dum poma alijs parit, & bombyx ſericum, ſe exhauriunt, ita magnarum inuentionum raro fructus ad ipſos redundat inuentores. Ego vero te, jocunde

lector,

ſector, interrogo, vtrum bonus chymicus ſit bonus medicus? & , vtrum nemo ſit egregius medicus, qui carbonariam non exercuerit? quid reſpondes? cum ſileas, reſpondeo: bonum Chymicum ne malum quidem eſſe medicum. quare? quia Chymicus ſolum quærit proprietates rerum, eſſentias, vt quidem putant, & res omnes in prima principia reducit, ſeu, vt ipſi loquuntur, ad vltimatam perfectionem peruenit: medicus autem corporis humani tam ægri, quam ſani conſtitutionem conſiderat, morborum differentias, eorum cauſas, difficultates, tempora, accidentia item, modos curandi, & alia hujuſmodi expendit. hoc non præſtat Chymicus, ergo ne quidem malus eſt medicus. morbi enim per operationes chymicas nunquam cognoſcentur, nunquam diſtinguentur, cum morbis nihil ſit cum operationibus chymicis commune. vnde, etiamſi Chymicus toto anno deſtillaret, per alembicum ſuum nunquam definitionem Lepræ, Epilepſiæ, Hydropis, aut alterius morbi, minus iſtorum cauſam eliciet, Cauſas vero horum morborum, aut originē non curat chymicus, ergo hos

hos morbos non curat: qui enim neſcit, quid Epilepſiam cauſet, quomodo curabit? ſi cauſam morbi neſcit, cauſam non tollit, ergo non curat. ergo Chymicus ne malus quidem eſt medicus. ergo manet operarius. Aliud eſt præparare, purgare, & coquere pharmaca, aliud morbos cognoſcere, aliud morbos ſanare, aliud medicamenta conuenientia adhibere.

Dices, praue loqueris Chymicomaſtix, longe aliter ſe res habet: ſi quis enim velit majora aſſequi, quam per hominis ingeniũ liceat, ſuadent. ſe Chymiæ dedat, per quam arcana naturæ diſcuntur, cum ſit Chymia velut quoddam omnium ſcientiarum compendium, & chymici ſoli rem cognoſcant per propriam ipſius cauſam. Ad hæc poëtice ſic reſpondeo:

Qui palmas hodie putant mereri,
Illi non ſine ſentiunt dolore
Graui, non niſi parua ſe tenere,
Toto nec ſecus orbe judicari.

putant enim Chymici ſe aliquid ſcire, cum tamen nihil ſciant: nam qui ſemper quærit, nihil ſcit, & qui ſemper dubitat, nunquam credit. Chymici jubent quærere, jubent pulſare,

ſare, rogare, inveſtigare, tentare, vſque dum inueniant. Ergo neſciunt, quando inſtenerint, & poſtquam inuenerunt, neſciunt, vtrum bonum aut malum inuenerint. ſeſe non erudiunt, vt patet ex dictis, quis ergo dicet ſe inueniſſe? Hoc vnicum ſciunt, ſe ſiliquas ſibi porcis, non perlas objeciſſe. Quaſi vero non dentur alij modi inveſtigandi veri, quam modi chymici. Sane naturæ rerum ante chymiam noſcebantur, & medicina jam diu ante in flore fuit. poſtquam hæc patet, huic ſoli creditur, vera medicina abjicitur. Omnes ſecretis chymicis credunt, præcepta medicinalia reſpuunt. Quis vero vtriuſque hactenus fuerit fructus ægri experti ſunt in crumena & corpore. Itaque ſic fit, vbi homines maiorem partem vitæ in tenebris ita agunt, vt nouiſsime ſolem quaſi ſuperuacuum faſtidiant.

In hanc acrem Satyram me perpulit Chymicorum inſolentia, mi medice, inuidia, ambitio, & faſtus, qui vbiq; veteres medicos, Hippocratē ipſum, ſcholas omnes lacerāt, & ſale nigro perfricant, impudenter audentes dicere: ſe à ſcriptis veterum impediri, ne ad perfectionem medicinæ perueniant, à ſcho-

lis

lis vero infatuari, tot nugis falſiſque opinionibus circumueniri, ſe intra breue tempus, breui foculo aſsidentes arcana naturæ diſcere, antiquorum vero libris veritatem dediſcere: Paracelſum fuiſſe medicinæ monarcham, illum vidiſſe perſpicue errores Galeniſtarum & fraudes, illum inueniſſe medicamenta Lepræ, Apoplexiæ, Podagræ, illum habuiſſe medicinam vniuerſalem, illum correxiſſe ſcholas, chymeras qualitatū amputaſſe, reſtituiſſe vero certam breuemq; medendi rationem. Iſta, inquam, jocunde lector, mihi ſtomachum mouerunt. Erraſſe veteres, ipſi vltro fatentur. deberent ergo à Chymicis in iis, in quibus errarunt, corrigi, non in omnibus damnari. ac ſi omne quod non eſt chymicum, ſit erroneum. Vanitas hæc Terentio diſplicet, dum inquit:

Homine imperito nunquam quidquam injuſtius,
Qui, niſi quod ipſe facit, nihil rectum putat.

Recte monet Plutarchus, inuidentiam excludendam eſſe à diuino ſapientum choro, & obtrectationem, quæ ob imbecillitatem id, quod dolet, diſsimulare non poteſt. Si ergo, mi Chymice, virtus tibi adeſt, noli eſſe inutilis, ſi vitium, noli negligere medicinam.

Anti-

Antiquos vtiles fuiſſe teſtatur Galenus inquiens: *Priſcos authores, ceu nullius adhuc dogmatum ſectæ addictos, ſed pura & ſimplici mente ſtudentes vtile quidpiam ad ſanitatem inuenire, credibile ſane eſt, quædam vſu, quædam invenisse ratione, tum ſcripſiſſe quæ invenerant, ſubinde non adhibita inuentionis ſuæ ratione, aliquando vero & adhibita. atq; id feciſſe legentium vtilitatis cauſa. quippe, vbi ad dextrum inventorum vſum conducturum poſteris ſperabant, ſi rationem inventionis nouiſſent, tum eam diligenter prodiderunt: vbi ſecus & ſupervacuum relatu putauerunt, & propterea omiſerunt.* Proſunt etiã Chymici chirurgis & ſeplaſiarijs, dum nimirum ipſis medicamenta præparant, quæ bene vel male parata ſint, ſolus nouit chymicus.

Iam vero ceſſent lites, & videamus quæ ſecta ad medendum tutior, Galenica, Empirica, vel Chymica. Tu quidem mi medice, poſſes alterutram iſtarum approbare: ego, vt ingenue fatear, veterem, nempe Hippocraticam approbo tanquam ſecuram, bene fundatam, & omnium facilimam, atque Hippocratem ita cum Galeno laudo: *Hippocrates primus omnium recta inſtitit via. quæ cum à poſteris abſoluenda fuerat, non modo nemo eorum abſoluit,*

abſoluit, ſed pleriq́; etiam quæ probe fuere inuenta ſcorruperunt. Hoc ipſemet confirmat Hippocrates, dum inquit: *At vero in medicina jam pridem omnia ſubſiſtunt, in eaq́; principium & via inuenta eſt, per quam præclara multa longo temporis ſpatio ſunt inuenta, & reliqua deinceps inuenientur, ſi quis probe comparatus fuerit, vt ex inuentorum cognitione ad ipſorum inueſtigationem feratur. qui vero his omnibus rejectis ac repudiatis, aliam inuentionis viam aut modum aggreditur, & aliquid ſe inueniſſe jactitet, is cum fallitur, tum alios fallit: neq́; enim iſtud vllo pacto fieri poteſt.* Hippocratis tempore medicina jam corrumpebatur, ſectæque variæ increſcebant, cum autem videret bene inuenta collabi, & repudiari, ea ſeruauit, multaque ex inuentione ſua addidit, atque medicinam ita perpoliuit, vt ingenue auſim profiteri, qui doctrinam eius ſequuturus eſt, ipſum ſummum fore medicũ: nemo enim poſt ipſum ad tantam perfectionem potuit peruenire, vt facile approbabit, qui eius ſcripta cum attentione legerit. Noſtra autem ætas, noſtriq́; juniores medici nouitatem amant, priſca, etſi bene inuenta, quia tamen priſca ſunt, faſtidiunt. Hinc fit, vt quaſi à nemine amplius

Hippo-

Hippocrates legatur. attamen quæ ſemel be-ne inuenta ſunt, ſemper noua ſunt, quia nunquam intereunt. Morbi ſemper ijdem circulatim redeunt, & ijdem ſunt. antiquæ febres non fuerunt aliæ, quam noſtræ, anti-qui medici ſanarunt antiquas, ergo ſanabunt & noſtras. Ad quid itaque noſtra nouitas? Ridemus quidem eum, qui dixit, meliorem Athenis eſſe Lunam, quam Corinthi, ta-men idem quodammodo nobis accidit, cum priſcos medicos contemnimus, recentiores vero ſequimur, tanquam eorum, quæ pri-ſci ſciebant, gnaros, & ex ſuis fictitijs nouis doctores factos. Ac ſi id, quod putant ſe in-veniſſe, iam apud Priſcos non fuiſſet.

—— non heri ſunt iſta, vel nunc, edita,
Semper fuere, quando exſtiterint, nemo ſcit.

quanquam putent plerique recentiorum ſe aliquid inueniſſe, iam ante inuentum erat, ſed non corruptum, aut correctum, aut im-minutum, aut aliis verbis redditum, vt le-ctor nouitatem fictam vehementius anhelet, re vera tamen priſca ſunt, ſed nouo modo condita, ne lectores animaduertant, mures alienum victum conſumentes. Sed quamuis Hippocrati, & antiquis addictus ſim, non

tamen

tamen recentiores ſperno, præcipue in variis remediis conficiendis, imo & plebe, os rogari volo, ſi quid ad medendum conferre poſsint, vt me faciendum docet Hippocrates: *Neq; vero pigeat*, inquit, *ex plebejis ſciſcitari, ſi quid ad curandi opportunitatem conferre videatur.* tum, *neq; turpe eſt, neq; indignum*, ait Plato, *ſapientiæ gratia cuilibet ſeruire, & honeſtis obſequijs vnumquemq; demereri.*

Dices, quemadmodum quibusdam canibus ſic innatum eſt, vt non pro veritate, ſed pro conſuetudine latrent, ita te naſo implicata bilis ſemper contra nouos medicos armat, atque ad contradicendum impellit, cum experientia conſtet, remedia nuper excogitata, & tutiora, & gratiora atque magis eſſe ſecura, cum quotidie mala à Chymicis corrigantur. Ego vero ita reſpondeo: *diſce, ſed ira cadat naſo, rugoſaq; ſanna*, & pacate omnia bene expende, experiere, quæ remedia faciliora ſint, chymicorum, vel Hippocratis, Galeni, & aliorum. Nonne tutiora ſunt, quæ naturæ noſtræ magis conveniunt? herbæ, ſucci, radices, fructus, magis nobis ſunt naturales, quam metalla & lapides, cum hæc naturæ noſtræ omnino

ſint

ſint contraria. neque enim ex his conſtamus,
aut nutrimur, aut conſeruamur. ergo ea
erunt tutiora, faciliora, & meliora, ex qui-
bus nutrimur, conſtamus, & conſeruamur,
qualia ſunt herbæ, radices, fructus, & alia
huiuſmodi. Non autem antimonium ſub
variis nominibus exhibitum, vel Mercu-
rium philoſophice rectificatum, vt loquun-
tur. Quod ſi per ſuperiora mouere volue-
ris, cataputiam, ſemen raphani, flores Per-
ſici, & multa alia, helleborum item, citius
& ſecurius apparaueris, atque propinaueris,
quam Antimonium in flores redactum, &
toties philoſophice rectificatum. Ad ſudo-
rem mouendum non opus habemus Mercu-
rio diaphoretico, ſed aquis Angelicæ, car-
dui benedicti, cerefolij, rutæ, &c. quæ
promptiſsimæ & ſecuriſsimæ adſunt. Cur
ergo veterem medicinam contemnamus tu-
tam, & facilem, chymiam vero incertam,
difficilem & non tutam ſequamur? quia ve-
tus medicina nimis ſimplex & vilis videtur,
chymia vero artificioſa, ſplendens, alma,
plauſibilis. Si itaque vtramque adjungere
velis, vt olim Caliphon philoſophus hone-
ſtatem cum voluptate copulare debere dixit,
ceu

ceu voluptatem cum honeſtate, hominem cum pecude copularet, per me licet. Experientia te docebit, quantum in rę medica profeceris.

De Interrogationibus apud Ægros faciendis,

CAPVT VI.

DVo ſunt potiſsimum, quæ medicum celebrem, fortunatumque reddunt. vnum, cognoſcere morbos, differentias, longitudinem, breuitatem, & eorum curam facilem, vel difficilem. Alterum, cum ægrotis tractaturus eſt, ſcire prudenter interrogare, & ad interrogata apte reſpondere. vtrumq; docet Hippocrates. primum ibi: *Qui de morborum curatione tum ſcite interrogare, tum ad quaſita reſpondere valet, & commode obiecta refutare, hæc ſecum reputare conuenit. primum quidem ex quibus morbi omnibus hominibus oriũtur. deinde vero, qui morbi, cum neceſſarias cauſas habeant, aut longi ſunt, aut breues, aut lethales; num pars aliqua corporis mutila reddatur, nec ne. & qui, vbi exorti ſunt, euenta habent dubia, aut mala, aut bona, & ex quibus in quaſnam tranſitiones fiant, queq; medicis in*

ægrorum

grorum curatione proſpere ſuccedunt, & quæ grotantibus in morbis mala aut bona cõtingunt, uæq; intempeſtiue dicuntur, aut fiunt à medico era ægrum, aut ab ægro erga medicum, quæ etiam n arte exacte fiunt aut dicuntur, & quæ in ea rela, vel quæ non recta, quodq; ejus principium, vel inis, vel medium, aut aliquid ex his, quod in ea ecte ſe habere, vel non habere, demonſtretur, & uæ parua, quæ magna, quæq; copioſa & pauca, &c. alterum ibi: *Cum ad ægrotum perueneris, uænam patiatur, & quanam ex cauſa, interrogandum, & ex quot diebus: an etiam venter lemittat, ac quanam victus ratione vtatur.* item libi: *Ad diligentem ægrorum procurationem melico videndum eſt, quænam de morbo interrogationes fieri debeant, quæ narrat æger, qualia haberi debeant, vt accipiendi ſermones, quæ ad ægrum, quæ ad aſſiſtentes, & quæ ad ea, quæ extra ſpectantur, attinent.* Primum damus Theoriæ, ſecundum Praxi, vtrumque vero totius medicinæ compendium recte nominetur. In primo dicuntur ea omnia quæ medico ſcitu neceſſaria ſunt, in ſecundo quomodo praxin aggredi debeat. Primum ſupponimus, ſecundum explicamus.

Si quis itaque junior medicus ægrum ali-

 quem

quem ſuſcipit curandum, non vt loquaculi tonſores varios diſcurſus cum ægro aut aſsiſtentibus inſtituat, tanquam garrulus proxeneta, ſed modeſte compoſitus infirmum roget; quid patiatur, non quibus medicamentis vſus ſit, vel quonam medico, vt plurimi inepte factitant, ſed quomodo afficiatur, vtrum frigeat aut caleat, intenſe vel remiſſe, an toto corpore doleat, vel ſolum capite, aut parte quadam interiori, pectore ſcilicet, ſtomacho, abdomine, aut quacunq; parte exteriori, brachiis, pedibuſve; vt ex reſponſis tute agnoſcas eſſentiam morbi & eius ſymptomata. Tum quandiu ea, quæ patitur, paſſus ſit, vno, an duobus, aut tribus diebus, pluribuſve, an ſeptimana integra, menſe, anno, diutius an breuius, vt vel incipientem, vel jam inueteratum morbum dignoſcas, dein eius tempora, mox judicationem obſerues. Poſtea quomodo morbus apprehenderit, an impetu facto, vel per interualla, & morulas: an poſt cibum aliquem comeſtum, poſt hauſtum vini, aut cereuiſiæ, aut aquæ largiorem, calente vel frigente corpore, an poſt exercitium, poſt labores nimios, vt cauſam morbi euidentem,

ſeu ſuſcitantem cognoſcas. Deniq; de ſym-
ptomatis quæras, an ſitis ſit vehementior,
ſomnus aut nullus, aut exiguus, iſque tur-
bulentus; an difficile ejiciat tum alui, tum ve-
ſicæ onus; an appetitus deprauatus ſit; an ci-
bo injecto lædatur, & quali, vt hæc omnia,
quia plerumque de his ægri magis querun-
tur, paulo moderari poſsis. Vtile etiam fuit,
quandoque quæſtionem inſtituiſſe de animi
affectibus, ab his enim multa ſanatu difficili-
ma proveniunt. Obſerua, longas quæſtio-
nes apud omnes non ſatis conuenienter in-
ſtitui; *dolentem* quidem *amici ſermo benignus
ſubleuat*, ſed cum ſint diuerſa ægrotantium
ingenia, diuerſa etiam ratione tractanda
ſunt, atque multi ita moroſi ſunt, vt ne qui-
dem interrogari velint: quocirca aſtantes
tunc erunt interrogandi de ſtatu & circum-
ſtantijs decumbentis. Rurſum obſerua, vni-
cum idque apud omnes fere perpetuum re-
ſponſum eſſe, ſe magno cordis dolore tene-
ri, belle alias de corpore, niſi cor identidem
doleret. quod ſane reſponſum, vt intelliga-
tur, commentarijs indiget, ipſi quippe ægri,
etiam inſcij, rectiſsime reſpondent, ſi modo
à medicis intelligerentur. dico itaq; nomen s

cordis apud populares æquivocum eſſe, duplicemque nanciſci ſignificationem. prima, eaq; propria tribuitur parti illi nobiliſsimæ, quam vitæ noſtræ baſin eſſe volunt, quæ tamen expers eſt vllius ſenſus, adeoque & doloris, quam ſolutionem continui dicunt, cum careat neruis, quibus ſenſus perficitur, excepto pericardio, cui minora neruorum filamenta inſeruntur. videtur quidem in interiori ſubſtantia velut quædam textura fibrarum, quibus cor identidem mouetur, verum neruorum nihil vſquam apparet, quamvis illi, cui glandes in pudendis libramento ſunt, neruorum propagines à corde, tanquam à prima radice, deriuentur. vnde credendum eſt, eos qui cor ſentire, audire, ideas (quas cogitationes vocant) excitare, pro concione ſæpe numero exclamant, non inſcite, ſed populariter loqui. Secunda & impropria cordis ſignificatio vſurpatur à vulgo, quando orificium ſuperius ventriculi circa ſternon cor appellat. ſic apud Gallos & Germanos communiter accipitur. Galli enim ſi ſtomacho dolent, vel nauſeant, dicunt ſe corde dolere: Germani ſcrobiculam ſtomachi cor appellant, pituitamque ſurſum

ſum nitentem, aquam cordialem. Quando ergo ægri conqueruntur, ſe corde dolere, non de corde proprie dicto, ſed de orificio ſuperiori, aut toto ventriculo intelligendum eſt.

Vltima medici interrogatio eſt, qua victus ratione æger vtatur. quoties in die comedat, quot horæ inter repetitos paſtus intercedant, vt cognoſcas, vtrum cibus hoc tempore interjecto coqui poſsit. quibus cibis, leuibus aut durioribus, leguminibus, carnibus ſalitis, varijs caſeis, lacticinijs, oleribus, fructibus: quo potu, vino diluto aut integro, auſtero vel dulci, cereuiſia craſſa, aut dilutiori, aqua pura, aut factitia vtatur. vtrum proportio ciborum ad potum reſpondeat. vtrum poſt largam comeſtionem rurſum diu fameſcat, rurſumque affatim cibos ingurgitet. His addi poſſet neceſſaria mihi viſa quæſtio, vtrum æger ſanus aſſuetus fuerit quibuſdam remedijs aut euacuationibus frequentioribus, à natura, aut à medicamẽtis excitatis: vtrum alat cauteria, vtrum hæmorrhoides patiatur, aut narium ſtatis temporibus hæmorrhagiam, & alia hujuſmodi: multa enim ex his cognoſci poſſent, & à me-

dico bene agenda fieri. atque hæc ſunt apud ægros facienda, non petere ſtatim vrinam inſpiciendam, aut excrementa conſyderanda. quod ſi non minxiſſet, quid inſpiceres? ſi ventrem non exoneraſſet, quid conſyderares? tuam abſurditatem, mi medice. minus arripi debet manus ad pulſum explorandum, ſed expectandum poſt interrogationes, vt Celſus egregie monet inquiens: *Periti medici eſt, non protinus vt venit, apprehendere manu brachium, ſed primum reſidere hilari vultu, percontarique, quemadmodum ſe habeat, & ſi quis ejus metus eſt, eum probabili ſermone lenire, tum deinde ejus corpori manum admouere.* Pulſus enim nihil aliud oſtendit, quam cordis & arteriarum motum aut ordinatum, ſeu naturalem, aut inordinatum, ſeu non naturalem. adeo vt etiamſi pulſum bene obſeruaueris, morbum tamen non cognoueris. Tandem hoc etiam addendum eſt, vt cautus ſis in exquirendis ægrotis & aſsiſtentibus; ſimulant enim quandoque ſe grauiter ægrotare, cum tamen nihil doleant, atque ad hoc magis morbum majorem vel minorem fingunt, ſi animaduertant medicum non ſibi conſtantem, aut timentem, cum nimirum præpo-

ſtere

ſtere aut agit, aut interrogat, aut reſpondet. Galenus nos docet, quomodo morbum ſimulantes ſint arguendi, quem legere poteris. Ridendi quidem eſſent iſtius modi verſipelles, non immotis, ſed *diſſutis vndiq; malis*, cum ſibi ſoli noceant; cauendum tamen potius ab his, quam ludendum. Optime quondam rex Antigonus morbi ſimulationem in filio Demetrio obſeruauit; audiens enim pater, filium inualetudine teneri, cum viſum iret, formoſum quendam apud fores obviam habuit: ingreſſus inde juxta aſſedit, manumque attrectans, dicenti, jam febrim diſceſsiſſe, *& vero*, inquit, *mihi enim apud januam diſcedens occurrit*. Ita mi medice, ſi quenquam deprehenderis, verbis modeſtis caſtiga.

De Pulſu tangendo;
CAPVT VII.

CRederes vnquam, jocunde lector, pleroſque mortalium ita ignaros, vt viuant, & tamen quid viuere ſit neſciant? atque inter eruditos etiam ambigitur, dum variis ambagibus vitam definiunt: alij quippe, poſtquam non eandem vbique vitam, ſed plures

diſpareſque conſtituere, quarundam eſſentiam in nutritione per intus ſuſceptionem facta, aut in incremento per juxta poſitionẽ, aliarum in ſenſu, aliarum in locali motu radicari exiſtimant. Alij nihil ex his, ſed omnia ex calore fieri pronuntiat; vt viuere nihil ſit aliud, quam certis gradibus calere. Alij vitam voluere eſſe agendi & patiendi poteſtatem. Sed quoniam ſuo quemque ſenſu abundare æquum eſt, ſit vita illud, quod cuique libuerit, mihi ſane vitam humanam motum irrequietum eſſe multa perſuadent. Ac primo quidem ipſa vitæ primordia, quæ à motu incipiunt: cor enim, principium & ſubjectum vitæ vix efformatum jam mouetur, eo prorſus modo, quo poſthac mouendum eſt. nec aliter inter confuſa filamentorum rudimenta ab anatomicis dignoſcitur, quam motu. Mulieres ſane embrionem viuere ex ſolo motu percipiunt, non à calore, aut nutritione, vel ſenſu. Tum actiones omnes humanæ motum declarant, quæ mouendo fiunt. Nutritio, incrementum, ſenſus, alijque vitales actus motu perficiuntur. Calor vero nuſquam abſque motu conſeruatur: niſi enim identidem moueatur, ſtatim

perit,

perit, euaneſcitque. In cubiculis clauſis, ita vt ne rimula hiet, ignis nunquam excitandus eſt, niſi aër admittatur, qui illum moueat & ventilet. Experimur in incendijs, tum craſsiſsimos volui flamarum turbines, cum vehementius ignis à vento mouetur, ita vt etiam in diſtanti motum vſurpemus. Sic, inquam, calor noſter vitalis, niſi perpetuo moueatur, perit & ſuffocatur, atque inde morbos omnes oriri exiſtimo, quod motus internus intercipiatur, vnde humores moueri non poſsint, & ideo neceſſario putreſcant, velut aquæ immobiles, quæ ſolum putreſcunt, quia non mouentur. Denique motum vitæ principium ex eo cognoſcimus, quod pereunte ipſo pereat vita, cum mors nihil aliud ſit quam priuatio motus. Verum non quemlibet motum vitalem exiſtimes, cum & cadauer moueri poſsit, nempe à veſpillonibus cum effertur; ſed internum & æqualem, quem tentando venas conquirimus, vnde motus qualiſcunque alius, præter æqualem & vniformem, morboſus cenſendus eſt: vt enim in cæleſtibus nunquam aut augetur, aut minuitur, ſed idem ſemper pari menſura continuatur; ſic in cor-

poribus humanis nunquam aut augendus, aut minuendus eſt, ſed æquali paſſu & modo continuandus. qui vero ab hoc deſciſcit, à cauſa præternaturali & morbifica fieri neceſſe eſt. Quare in venis tentandis ſumma diligentia adhibenda eſt, vt motus naturalis à præternaturali recte dignoſcatur. Omnis vero motus, ſeu arteriarum pulſus, naturalis ordinatus eſt & æqualis, neque in magnitudine, vehementia, frequentia, celeritate, aut alio modo excedens, vt apud authores condiſces, qui tantam vim pulſuum accumulant, tot differentias ſubjiciunt, vt deniter, quî eos comminiſci potuerint, niſi monſtrificis, vel potius pulſificis ingenijs. Eos ab experientia didiciſſe incredibile eſt, cum à digitis, etiam exquiſitiſsimis, explorari non poſsint. multum eſt, reperiſſe motus paruos, crebriores, veloces, magnos alioſque præternaturales, non dico vndantes, caprizantes, formicantes, myuros, ſerratos, alioſque ſubtiliores, cum difficilimum ſit, in ægris arterias explorare, tum ob naturalem earum duritiem, ſuppreſsionem, tum ob externa accidentia, quæ facile motum immutant: imo & in tactu ſæpe-

numero

numero peccatur, quo minus motus morbificus percipi poſsit. Equa trima haud ita petulanter in agris luſerit, calcibus aëra laceſſens, & pumilus pulex ſubſultim hinc & hinc in ſinu puellæ vibrans cruſcula, vt apud plurimos authores arteriæ ita venuſte ſubſultant. ſed mittamus jocos.

Poſtquam itaque interrogationes abſoluiſti, mi medice, ægri manum dextram apprehendito, & ibi, vbi ſolent, pulſum tenta, nec nimis comprimendo, nec nimis digitos laxando, vt pulſum non alium quam eſt, animaduertas. diu conſiderandus eſt; nam primo impetu qualis ſit non percipitur, cum ſæpenumero etiam in tactu ipſo immutetur. Deinde recordare, pro ætate & ſexu variare pulſus, item in morbis diuturnis minores debilioreſque eſſe, tum in laſsis hominibus, & timidis, obeſis item ſeu carnoſis, in quibus arteriæ à pinguedine comprimuntur, & plerumque graciles exiſtunt: adeo vt non poſsint in diaſtole ita alte eleuari, in ſiſtole vero ita deprimi. Quocirca cautiſsime pronuntiandum eſt de viribus ægri, aut de magnitudine morbi: in Apoplexia enim & Lethargo pulſus ferme nihil

immutatur, nec differt à naturali, iſti tamen morbi ſunt lethales, nec diu durant. omnes quidem putant, nihil imminere periculi, quandiu pulſus eſt æqualis & ordinatus, ſed non eſt vſquequaque certũ, morbi enim capitis nihil habent cum corde commune, cum in cerebro ſit ſola virtus animalis & motiua, non autem vitalis. Nihil ergo pulſus cordis & arteriarũ in morbis capitis immutabitur. Hoc olim egregius alias medicus me præſente experientia comprobauit. Siquidem ad Lethargicum cum alio vocatus ex ſtrectatione pulſus vires nondũ imminutas ſentiens, palam & temere pronuntiauit, hic nihil eſſe periculi, febrem minutam eſſe, prætereaque nihil. Ego vero iſtius ægri ordinarius aliter ſentiens, adſtantes monui, vt Eccleſiaſtico (erat enim Præpoſitus) conſueta appararent, in craſtinum circa horam ſextam matutinam moriturum. illo tempore Lethargicus obijt. Audacter etiam Charicles mortem Tiberij prædixit. manum enim ejus quaſi abiens officioſe complexus tacto pulſu non vltra biduum duraturum eum pronuntiauit. Non abſurdum fuerit, medicos juniores monere, ne varijs chirothe-

cis,

cis, aut thymiamatis vtantur, contrectando enim ægroti maris, vel fæminæ manus, non omnis odor gratus eſt. Quemadmodũ Spartanæ mulieri & Berenici vxori Dejotari accidit. Illa accedens ad vxorem, cum invicem appropinquaſſent, vtraque auerſa eſt, quod vnguentum altera, altera butyrum olfaciens auerſaretur. Ita ſummæ poſſemus eſſe moleſtiæ ægrotis cum iſtis odoribus. Quare nobis ſufficeret nitor & odor, qui nullius eſſet odoris; medici enim ſumus, non mulierum deliciæ.

De Vrinis inſpiciendis, alijſque Excrementis examinandis,

CAPVT VIII.

POſt pulſum cognitum recto ordine ad vrinas, aliaque excrementa conſyderanda itur. Galenus quidem dixit, proverbium eſſe: Vrinas noſſe, ad pictorem pertinere, ipſe tamen multa de vrinis ſcripſit, Hippocrates item, Auicenna, & ferme omnes medicinæ authores: adeo vt Hieronymus Mercurialis, qui de vrinis exactiſsime ſcripſit, affirmet, certiores dari in vrinis indicationes, quam in pulſibus. Poſt variorum vrinæ no-

minum explicationem, eam ita definit: *Eſſe materiam potulentam, alimenti vehiculum, in jecore, & vaſis alteratam, & permixtam à calore naturali, aut præternaturali, tandemq; à renibus attractam, & in veicā depulſam.* Tum particulas omnes plane exſplicat. Ego vero prolixam hanc defini ionem tribus verbis comprehendo, nimirum, eſſe vrinam *maſſæ ſanguineæ purgamentum.* In his ea omnia continentur, quæ in illa definitione traduntur, niſi quod verba illa, *materiam potulentam, alimenti vehiculum*, difficultatem pariant, ſi Mercurialis non omne liquidum aſſumptum per materiam potulentam intelligat: aues enim bibunt, & non mejunt, cuniculi vero non bibunt, & affatim mejunt. item, in non bibentibus potus non erit alimenti vehiculum. ergo vrina non eſt materia potulenta. Meam definitionem ſic explano: vrinam dixi purgamentum, non excrementum, quia excrementum venit à coctione quadam facta in vaſe quodam corporis, vrina vero neque coquitur, neque ab alia quadam coctione fit. Non à prima quam vocant, quia primæ excrementa per inteſtina ejiciuntur; non à ſecunda in hepate, cum hepar excrementum ſuum in ciſtim tranſ-

mittat: non à tertia in corde, cum cor nihil excrementi ſeponat: non à quarta, in aſſimilatione ſubſtantiæ, cum materia aſſimilanda jam ſit purgata atque defæcata, vt ſubſtantia jam aſſimilata. Quod vrina ipſa non coquatur patet, cum ſit purgamentum, purgamenta vero non coquuntur, ſed ejiciuntur. ergo vrina non coquitur. Quod ſit purgamentum maſſæ ſanguineæ & non totius corporis probatur: primo à ductibus vrinalibus, qui venas ſubintrant, & in veſica deſinunt, vnde meatus vrinales, venæ emulgentes vocantur, ſi anatomicis credimus. ſecundo, à materia ſeu ſubſtantia vrinæ, quæ maſſæ ſanguineæ commiſcetur. ſanguini enim miſcetur bilis, pituita, ſerum quod neutrum eſt horum, aliaque materia à ſanguine diuerſa, iſta vero omnia in vrina reperiuntur, & ſanguinis purgamenta ſunt, ergo vrina eſt maſſæ ſanguineæ purgamentum. quod iſta in vrina non reperiantur, nemo ſanus negauerit, cum oculis & experientiæ pateant. Clarum itaque eſt, vrinam eſſe purgamentum ſanguinis, non excrementum cujuſdam coctionis.

Dices, apud authores vrina dicitur cruda,

&

& cocta: ergo vrina coquetur, cum cruditas denotet coctionem. quod enim coquendum eſt, prius debet eſſe crudum, quod jam eſt coctum ante fuit crudum. ergo vrina recte dicitur cruda & cocta. Reſpondeo, vrinam comparatiue ſolum dici coctam & crudam: ſi enim vrinam albam, quæ aquæ limpidæ ſimilis eſt aſpicimus, videtur cruda, cum ſit ſimilis aquæ crudę, ſi vero turbidam, inſtar pollinis, aut juris craſsioris, coctam dicimus, cum tamen vtraque & aquea & craſſa ſolum humores in ſe denotet, in aquea humorem ſimpliciorem, in turbida magis craſſum & compoſitum. Confirmatur ab authoribus ipſis, qui dicunt, vrinam eſſe alimenti vehiculum. Quod ſanguinem vehit & diſſoluit, neque eſt crudum, neque coctum: nihil enim refert quomodocunque ſe habeat vehiculum, modo vehat. ergo vrina neque cruda eſt, neque cocta. verum, vtcunque iſta ſe habeant, ad neceſſaria pergamus, & quid vrinæ indicent in ægris videamus. Galenus 4. de Sanit. tuenda dicit, de ijs, quæ intra venas ſunt, nullum plane nec manifeſtum, nec euidens ſignum nos habere, præter ſolam vrinam. Item lib. de Conſtitut. art. med. quæ in ventriculo conficiun-

tur, dejectiones demonſtrare, quæ in vaſis, vrinas, quæ in corpore vniuerſo, ſudores. Hollerius in Aphor Hippocr. commentario 12. vrinas in morbis venoſi generis, eſſe ſignum proprium, in pleuritide vero cõmune ob febrem: alui vero excrementa in morbis inferioris ventris eſſe proprium ſignum, & ſudores ad ſigna critica referri Vrina ergo nihil poteſt indicare, niſi quod in ſe continet; continet autem in ſe purgamenta ſanguinis, quare indicabit impuritatem ſanguinis, & qualia ſint ejus purgamenta. per conſequens vero indicat varias febres & morbos, non per ſe, cum vrina à morbis nihil communicet. Vnde mihi non poſſum imaginari, quomodo tam audacter plures medici omnes morbos, mulierum impręgnationem, & multa alia ex vrina prædicant. Vt rem aliquam prædicam, oportet, vt mihi ante ſit intime nota per aliquid, quod res ea prædicenda in ſe contineat. Vrina nihil embryonis, nihil temporis, nihil menſium in ſe continet, quomodo ergo ex vrina embryonem inceptum, vel quadrimeſtrem, aut alterius longioris breuioriſue temporis prædixero? ideo aperte Mercurialis ita loquitur:

Non

Non ſum ejus ſententiæ, quod ex ſolis vrinis valeat medicus certior fieri, num mulier vtero gerat, nec ne; quoniam ex ijs ſignis, quæ nos Hippocrates multis locis docuit, pro cognoſcendis prægnantibus, nullum habemus, quod certam nobis fidem facere queat. tum alibi pergit: *quæ de particularium morborum vrinis dicuntur, fere ſupervacanea ſunt. quis enim non derideat Actuarium, & alios cum volunt nos docere, quæ ſint vrinæ eorum, qui pedibus laborant, quæ illorum, quos manus morbi exercent, & quæ capite laborantium.* Crediderim ego, hæc ex diuturna obſeruatione vrinæ à medicis prædici. fuit nempe primus, qui obſeruauit in febribus tales fuiſſe vrinas in omnibus ægrotis, in aliis morbis alias vrinas à febribus differẽtes: atque has ſcriptis connotauit, ſicque omnes poſteri priores hoc iter ingreſſos ſecuti ſunt. Vnde mos ille mittendi lotium ad medicum ex locis peregrinis natus eſt, nunc vero apud ignaros merus abuſus, ex quo infinitæ fraudes natæ ſunt: nam ſæpenumero aut veterinorum vrinas, aut liquore extraneo mixtas, aut varijs coloribus tinctas, ad tentandum medicum tranſmittunt. adeo vt hodie medicus vulgi ſolum proſtet irriſui, &, vt Car-

danus loquitur, *ars medica, ſi qua alia, gloria, quæ ipſam comitatur, excepta, tota ſeruilis ſit, plenaq; laboribus, & , vt vere fatear, ingenuo viro indigna, vt non mirer, olim ſeruorum fuiſſe hoc exercitium* nunc vero redimus ad nos.

Inſpecturus vrinam, non particulam ſolum, vt multi ſolent, ſed integram, quam æger minxit, ſine agitatione conſydera, ſic enim ea quæ in imo, medio & ſuperficie ſunt, optime perſpicies. nec credas, vt ignari volunt, vas diaphanum ſemper requiri. quis enim vitrum apud omnes ægros tranſparens clarumque reperiet? Reſpice ergo colores, contenta, quantitatem. Colores indicant humores, contenta materiem facilem aut difficilem, quantitas abundantiam feri & potus. Cætera quæ ex vrinis diſcuntur, apud authores reperies, pauca & communia hic ſolum addo, quæ quidem neceſſaria & in promptu habenda ſunt. primum docet Celſus: *Scire licet, integrum corpus eſſe, cum quotidie mane vrina alba, dein ruffa eſt. illud concoquere, hoc concoxiſſe ſignificat.* Idem ferme Galenus: *Vrina, quæ ſpeciem aquæ præfert, crudum adhuc in venis eſſe indicat ſuccum eum, qui à ventre ſubmittitur: quæ vero ruffa*

biliofaq;

bilioſaq́; eſt, jam dudum concoctum huiuſmodi eſſe ſuccum: quæ modice pallet, peracta modo ſecundæ concoctionis eſt ſignum. atque hæc de vrina naturali in homine ſano. De Febrium vrinis iſta tradit: *Vrinæ in febribus quotidianis intermittentibus albæ ſunt vel tenues, vel craſſæ aut turbulentæ vel turbidæ: in tertianis ruſſæ vel ſubruſſæ. in quartanis variæ quidem, ſed crudæ omnes.* Hippocrates paſsim de vrinis ſcripſit, vt apud Ludouicum Duretum Pariſienſem in commentarijs Coacarum prænotionum, & apud Rudolphum Magiſtrum, medicum regium, qui aphoriſmos, arcana judicia & leges Hippocratis compoſuit, videre poteris. Hoc potiſsimum apud Hippocratem obſerua, quod ſemper verum reperi, nempe: *Vrinæ ſpiſſæ & conturbatæ, capitis doloris, conuulſionis, & mortis fere indubitatum ſignum præſeferunt.* vnde rectiſsime Mercurialis: *Facile eſt intelligere, falli ſæpenumero medicos, qui videntes contenta in vrinis ægrotantium illico pronuntiant, ſignum eſſe valetudinis, cum tamen interdum videantur ægri cum iſtis cõtentis perire, eo quod illa ex cruditatibus potius & errore geniti, quam ex materia morbifica efficiantur.* Valeſcus de Taranta de vrina hæc habet: *Vrina*

quæ

quæ vno die habet hypoſtaſin laudabilem, & alio non, ſignificat quoſdam humores recipere digeſtionem, alijs vero non, & longam fore ægritudinem. Ceterum vrinæ à varijs rebus immutantur, vnde facile nobis imponitur: color enim vrinæ à Caſsia, à croco, à Rhabarbaro, à ſena, à Rubia majori mutatur; odorem vero alienum à terebinthina, allio, caſeo veteri, muſcho ſuſcipit. ne ergo ſtatim de vrina judicium feras, ſed & colorem, & odorem conſyderes, antequam de morbo judices.

Alui excrementa non minus inſpicienda ſunt quam vrina, cum ſint bonæ vel malæ digeſtionis indicium. Conſyderanda itaque ſunt in excrementis color, conſiſtẽtia, quantitas. Fæcum color naturalis eſt inſtar mellis cocti, conſiſtentia neque dura, neq; mollis, quantitas proportioni cibi reſpondens. Tempus ejiciendi, eſt tempus digeſtionis. Putant medici coctionem fieri breuiſsimam intra ſex horas, longiſsimam intra viginti quatuor, poſt, non amplius abſolui. Fætor etiam obſeruatur; qui facile imponit, dum cibi corrupti, & naturali odore graues, in excrementis naturam conſeruant, vt ſunt

caro aprugna, ceruina, leporina, caro varijs modis condita, caſeus vetus, varia legumina, & alia hujuſmodi. quare ne ſtatim morbum grauem, aut ſummam indigeſtionem pronunties, ſed cibos ab ægro comeſos, quia ad nutrimentum inepti, à natura rejici, ne corpus contaminent. Nec minus læuitatem inteſtinorum formides, ſi acinos vuarum, paſſulas integras, grana hordei, ſpinachia, carnium membranulas, & multa alia in excrementis reperias, iſta enim, etiam in homine ſano, digeſtionem non admittunt. Ideo ſi qua ex his apud ægros inueniantur, nihil boni maliue portendunt. Sudores & ſputa cum plerumq, in morbis tempore criſis accidant, ſummopere obſeruanda ſunt, quo die, & qua quantitate, & quoties, vt poſtmodum recte de ſanitate, breuitate, aut diuturnitate morbi judicium feras. De his omnibus abunde tractauit Hippocrates, quem, mi medice, in Theoricis tuis legere poteris, vt non opus ſit hic multum garrire.

De Prædictionibus,

CAP. IX.

SI ægrotorum conditio talis eſſet, jocunde lector, qualis eſt eorum animalium uxta Pontum naſcentium, quorum vita nius diei termino includatur, cum mane aſcantur, meridie vigeant, veſperi conſeeſcant, viuendique finem faciant, certus rædici poſſet vitæ & mortis terminus, nilque negotij nobis prædictiones faceſſerent: ed cum alius ſit vitæ humanæ ſtatus, omni omento mutabilis, rem difficilem reddit orborum varietas, & valetudinis inconantia; ita enim morborum viciſsitudinius, alijſque ſortibus impellimur, vt gyrum itæ ſalubris non abſoluamus, ſed circa rom ſtatus noſtri inæqualis caſum minantes atemus. vnde appoſite dixit poëta Menaner:

Si tu natus es, Trophime, ſolus omnium
Hac lege, partu cum te mater edidit,
Vt ſemper eant tibi res arbitrio tuo,
Felicitatem hanc ſi quis promiſit deûm,
Iraſcereris jure: nam mala is fide
Et improbe egiſſet. ſin iiſdem legibus,

Quibus

Quibus aërem nos ducimus, in lucem es datus
Hanc publicã (tecum vt liquido mage ſabuler,)
Ferenda ſunt hæc, & putanda rectius.
Summam rei quod continet totius, homo es,
Quo celerius non vllum extollitur animal,
Citiuſve dejectum imo repit in ſolo.
Meritoq; ſane: cum ſit enim infirmiſſimus,
Grauiſſimis involuit ſe negotijs,
Suaq; plurima ruina perdit bona.

Et quoniam tota rei medicæ moles in prædictionibus conſiſtat, vt euentura prædicamus, prudenter & acri judicio res erit peragenda, ne friuoli medici potius, quam experti ægrotis videamur. Alterandi, mutandique ſemper in melius vitioſos corporum ſtatus facultatem habemus, ſi vero ignoremus, quatenus ſit vitioſus corporis ſtatus, & qualiter à legitimo exceſſerit, quo tandem pacto licebit nobis eum in meliorem vendicare? Niſi morbum ad vnguem cognoſcamus, quid de eo futurum ſit prædicere non poſſumus. *Præſagia*, inquit Galenus, *& medicum ab omni mortis culpa reddunt immunem, & ægros ad obtemperandum faciles, occaſionemq; remediorum præmonſtrant.* Cautelam addit Celſus inquiens: *Eſt prudentis hominis, primum*

eum,

eum, qui ſeruari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus, vt occiſi, quem ſors ipſius peremit. deinde vbi grauis metus, ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis in difficili rem eſſe, ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignoraſſe, vel fefelliſſe videatur. Ipſe diuinus Hippocrates medicos ita monet: *Summa cura anniti oportet, vt præterita enarres, præſentia cognoſcas, & futura prædicas. duoq; iſta laboranda ſunt, vt in morbis commodes, aut ne quid offendas.* Tum libro ſecundo Prædictionum pergit: *Quod ſi quis me audiat, is quam prudentiſsime & conſultiſsime tum in cetera arte, tum in prædictis hujuſmodi ſe geret, probe intelligens, qui prædictionis ſucceſſum conſecutus ſit, apud prudentem ægrum admirationi fore: qui vero deerrauerit, præterquam quod odio grauabitur, eum ne inſaniæ quidem ſuſpicionem effugere poſſe. Quapropter præcipio edicta tum hæc, tum alia omnia prudenter fieri.* Tu itaque, mi Tyro, caue, ne cum aliis medicis aberres, ſi quando minus recte ex præcepto Hippocratis prædixeris: jubet enim edicta *prudenter* fieri, non *perperam*, neque *temere*. Merito tibi contrarium accideret, ſi faceres vt plerique medicorum, qui aliquod prauum videntes indi-

cium, ex quibus contingit viuere hominem, criminantur ceu mendacem: quemadmodum rurſus bonis apparentibus interempto ægro, falſiſsimum eſſe Hippocratem dicunt: nondum cernentes, vt interdum à multis bonis indicijs vnum malum vehemẽter peruincatur, & rurſus è contrario à multis malis vnum bonum, ſi vehemens ſit. quapropter medicus non peccat, quia ex præcepto Hippocratis prædicit, ſed quia præceptum non intelligit. Idcirco ſuadeo ego, (vtinam & ipſemet tenerem) vt omnes iuniores medici prædictiones Hippocratis ad vnguem addiſcant, diuitiis ſane & gloria mirum in modum augerentur, præterquam quod nihil perinde medico conducibilius, quam vt prudentem ſe præſtare laboret: ſi enim apud ægros præterita, præſentia, & futura, atque ea, quæ ipſi inter narrandum omiſerunt, nouerit, prædixeritque, nihil, quod ægris vſui fuerit, ignorare putabitur. quo fit vt audentius homines medico ſeſe committãt. Quod ſi medici, iocunde lector, ægrotis Regibus, aut alijs quibuſcunque, quibus omnimode ſors fauet, vitam intermixtis quidem grauibus morbis, hic æternum nihilominus

hilominus duraturam, prædicerent, quid præmij auferrent, quantum gloriæ, quantum honoris? ſed prudenter nos docet Plinius, *innumerabilia eſſe mortis ſigna, ſalutis, ſecuritatiſq́, nulla.*

Omnes eodem cogimur: omnium
Verſatur vrna ſerius, ocius
Sors exitura, & nos in æternum
Exitium impoſitura cymbæ.

Ægrotamus breuibus aliquando ſpatijs, dein conualeſcimus, poſt, aliquot annos valemus, non animaduertentes, nos quotidie mori, dum viuendi tempus inaduertenter conterimus; vt merito canat Horatius:

Eheu fugaces, Poſthume, Poſthume,
Labuntur anni, nec pietas moram
Rugis, & inſtanti Senectæ
Afferet, indomitæq́ morti.
Linquenda tellus, & domus & placens
Vxor, neq́ harum, quas colis, arborum
Te, præter inuiſas cupreſſos,
Vlla breuem dominum ſequentur.
Abſumet hæres Cæcuba dignior,
Seruata centum clauibus, & mero
Tinguet pauimentum ſuperbo,
Pontificum potiore cœnis.

Viuamus itaque ita mortales, vt prænuntiatam mortem non timeamus; ridiculum enim foret, ait Plato, ſi vir, qui ſe in vita ſic comparauit, vt quam proxime ad mortem accederet, ea deinde adueniente, perturbaretur. Fragilitatis humanæ memor

Animus meus, ſurſum, vtq; euectus ad polum
Decidit humi, & me ſic videtur alloqui;
Diſce haud nimis magnifacere mortalia.

Nunc vero ad rem. Poſtquam per pulſum, vrinas, perque alia ſigna quali morbo æger laboret, cognouiſti, prædictionem non tumultuario, & præpoſtere: ſed ordine recto inſtituito. Dic primo qualis morbus tibi videatur, vnde oriatur, à quibus nutriatur, & quandiu duraturus ſit, tum quando ejus judicatio aderit; deinde vtrum morbus ſit periculoſus, & quando æger moriturus eſt, aut quando conualeſcet. Vltimo, vtrum morbus rediturus ſit, nec ne, vel in alium faciliorem aut deteriorem, longiorem vel breuiorem tranſponendus. Ante omnia autem hæc in mente habeas: Cui nec demere quidquam, nec adjicere non partem aliquã, non qualitatem poſsis, id recte ſe habet. Eatenus redeat ad naturam eorum quodque neceſſe

ceſſe eſt, quatenus à natura receſsit. Minus periclitantur quicunq; cognato naturæ ſuæ morbo laborant. In declinatione morbi neminem perire. Obſerua item, raro medicos in principio morbi vocari, ſed ſæpiſsime circa augmentum vel declinationẽ. ſæpe etiam poſt tertium aut quartum diem, imo poſt primum ſeptenarium. Prout ergo voceris, eo modo tuam prædictionem inſtituas. ſi enim in aliqua febre in ſtatu, aut declinatione paroxyſmi vocareris, pulſum ſatis remiſſum, ſudoremque neque frigidum neque calidum reperires, velleſne ſtatim pronunciare, ægrum eſſe in vltimo diſcrimine? vel ſi in febre ſincopali, ſeu cardiaca paſsione, cum æger ſtatim in paroxiſmo deliquium patitur, ægrum moribundum pronunciabis? minime vero; ſed ibi dices, febris acceſsionem cum ſudore finiri, hic vero deliquium in huiuſmodi affectu ſemper ſolere accidere. Huius cautelæ vbique memor eris, ſi interrogationes recte inſtituas; quas ſuperius memorauimus, & potiſsimum: *à quo tempore id quod patitur patiatur*: poteris namque quam primum ſcire in quo tempore, principio, incremento, ſtatu, aut declinatione ægrum

 repereris.

repereris. hoc veró ſecuriſsime multa exercitatione peragitur.

Quantum ad morbos & omnis generis febres attinet, ſcias, quoſdam nec incrementum, nec ſtatum pati, vt ſunt Apoplexia, Lethargus, Paralyſis, Paraplegia, ijdem namque manent ad mortẽ vſque, niſi quod in ſe invicem tranſeant, Apoplexia in Paralyſin, ſæpius in Lethargum, Paralyſis totius, in Paraplegiam partis. Lethargus in Phrenitidem, & è contra. horum, inquam, nec incrementum, nec ſtatum exſpectes, nec remiſsionem, ſed aut mortem, aut morbi conuerſionem. Inter febres Synochus pura incrementum non habet, neque ſtatum, ſed ad finem vſque eodẽ tenore procedit, quemadmodum & Cauſon, & maligna, quæ periodos non patiuntur. Adeo vt intelligas, in nullis febribus incrementum & ſtatum dari, niſi in remittentibus, tertianis nempe, quartanis, & quotidianis. Poteris itaque in his facile incrementum, ſtatum, & declinationem prædicere, cum determinato tempore diſcedant, & accedant. atque hæc de periodis, ſeu paroxiſmis, ſeu acceſsionibus morborum. De periculo, breuitate, aut longitudine

tudine pauca dicenda ſunt. Neſcio, mi medice, quis quandoque magis periclitetur, æger vel medicus, dum iſte propter ignorantiam tremit, ille vero propter præpoſteram tractationem perit. Multi enim inter periculum & mortem non diſtinguunt. Poſſumus periclitari, & tamen non mori. Morbi periculoſi, in quibus & ſpes ſalutis, & metus eſt; ſunt omnes morbi acuti, qui ferme quarto aut ſexto die judicantur: Angina, Pleuritis, febres malignæ, quales ſunt Vngaricæ, ſeu Petechiales, Cauſones ſeu ardentes. Lethales ſunt Apoplexia fortis, Lethargus, Peripneumonia, Empyema, Peſtis. rariſsime ſeruantur qui his morbis conflictantur. Longi & incurabiles ſunt Phthiſis, Hectica tertij gradus, Hydrops, qui rariſsime omnino tollitur. longi ſeu Chronici & per periodos temporum redeuntes ſunt morbus caducus, ſeu comitialis, & Epilepſia, Podagra & Arthritis, & quos Lunaticos vocant, non quod hos Luna reuocet, ſed quod inſtar Lunæ ſua tempora ſeruent. Longæ ſunt etiam omnes febres intermittẽtes & nothæ, quotidiana, tertiana, quartana. Longa eſt Paralyſis, Hemicrania, quæ

quandoque toto vitæ tempore per vices durat. Si hæc omnia obſeruaueris in praxi, & in lectione authorum aſsiduus ſis, facile & proſpere de omnibus morbis euentura prædices. Hippocratem ego vbique commendo, qui ſane cautiſsime, & veriſsime in omni morbo omnia prædicit: quanquam & Mnaſitheus medicus hoc obſeruauit, initio morbi pulmonum, eum, qui cæpas appetat, ſeruari, qui ficus, perire; quod temperamentum affectui, affectui appetitus ſit, conſequens. Valeſcus ex ſententia Auicennæ, & Ioannis Meſue, capit. de ſingultu, egregiam affert prædictionem dicens: *Quando habenti ſingultum accidit apoſtema in latere dextro, & ſingultus eſt vehemens, in craſtinum morietur ante ſolis ortum.* Scio ego, in Ictero, ſi quis dormitat, & ſingultit, quarto die, & citius interire. Plura apud authores, certaq; reperies.

Vltimum malorum, quod mortem vocant, ſupereſt prædicendum. Dij boni, quæ moles! quantis opus habemus circumſcriptionibus! quot Ironijs! quot auribus ſemiſurdis! qua artificioſa balbutie! quot cautelis! ægrotus vero ipſe quam varia acie circum-

cumſpicit! jam timide gaudet, nunc triſte geſtit, tum ſpe vana paſcitur, & inter ſingultus compreſſos nullus viuit, atque voces medici nondum elatas, & vix dum in labijs hærentes nimis cito intelligit: intra ſe vero lugens, vt vires ferunt, exclamat:

ô miſer, inque dies vltra miſer, huccine rerum
Venimus?

vt inter medicorum moroſam obedientiam, & ſeplaſiariorum nauſeabundas ſorbitiones, multa eſuritione torridas tandem mihi neceſſe ſit mori? atque cantilenam coruorum cras, cras, auribus jam pene clauſis accipere, ſpeque timida inter mortem & vitam hærere? dicat medicus,

Cras hoc fiet, idē cras fiet. quid? quaſi magnum
Nempe diem donas; ſed cum lux altera venit,
Iam cras heſternū conſumpſimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, & ſemper paulum erit vltra,

& ſic poſt tot cras, & tot macras ſpes tandem finio. Nonne, mei mortales, ſatius eſſet voci Augusti Cæſaris, *Moriendum eſt*, credere, quam medicis circumuenientibus obedire? ſaltem recedente medico rideremus, veniente morte gauderemus, admonente nos ad hoc varia rerum viciſsitudine. Ille recte

apud Tibullum admonebatur, dum ita ſecum loquitur:

Nam mihi cũ magnis opibus domus alta niteret,
Cum fuerant flaui ditantes ordine ſulci
Horrea, fecundis indeficientia menſis:
Cuiq; pecus denſo paſcebant agmine colles,
Et domino ſatis, & nimium furiq; lupoq;,
Nunc deſiderium ſupereſt: nam cura nouatur,
Cũ memor accitos ſemper dolor admonet annos.

Quod ſi Sileni ſententiam teneremus, medicus, mortis nuntius, nec grauis, nec moleſtus eſſet: ille enim à Myda captus hoc ei pro ſua miſsione dediſſe ſcribitur: *Non naſci homini longe optimum eſt, proximum autem, quamprimum mori.* adeo vt mori nihil aliud ſit, quam à vitæ ærumnis liberari. quid ergo medicum mortis nuntium pertimeſcimus? Iam vero ad alia.

Probat Petrus Aponenſis argumentationibus multis, & teſtimonio Ariſtotelis, Galeni, Haly, naturalem vitæ finem non eſſe ab initio ad vnguem determinatum, ſed vltra citraque moueri poſſe. Si autem determinatus eſſet, fruſtra adhiberentur medici, cum nemo ante tempus conſtitutum, quocunq; tandem morbo laboraret æger, moreretur,

ſed

ſed ad illum vitæ terminum duraret, neque Hippocratem mendacem, alioſue medicos deceptores diceremus, cum per ſe mors futura præſciretur. Cum ergo nullum tempus conſtitutum ſit vitæ & mortis breue vel longum, difficile erit, certo prædicere mortem, multo ante tempore, quam accidat, præuiſam; ſiquidem hoc fieri non poteſt niſi ab exercitatiſsimo medico, & multis obſeruationibus inſtructo, atque ſic etiam non ſine difficultate: tot enim ſunt caſus in ægris, qui medicum bene exercitatum, non dico juniorem, ſæpenumero fallunt, vt mortem prædicant, viuente adhuc multis annis infirmo. vnde optime Celſus: *Sunt quædam proprietates hominum, ſine quarum notitia non facile quicquam in futurum præſagiri poteſt.* item: *Sæpe quædam notæ poſitæ non bonos, ſed imperitos medicos decipiunt.* Suadeo itaque juniori medico, vt aphoriſmi decimi noni ſectionis ſecundæ, vbique memor ſit: *Morborum acutorum non omnino certæ ſunt prædictiones, neque mortis, neque ſalutis*; ſic namque non errabit, ſi dubie periculum quidem, ſed mortẽ non certam pronuntiauerit. Quando vero æger ſit in extremis, facile perſpicitur in pulſu &

calore imminuto, vt nos docent aphoriſmi Hippocratis interjecti, vt vulgo ſcitur. tum Plinius docet, *Augurium ex homine ipſo eſſe, non timendi mortem in ægritudine, quamdiu oculorum pupillæ imaginem reddant.*

De Cura communi, quæ omni ætati, tempori, Regioni, & omni morbo conuenit,

CAPVT X.

QVæritur, jocunde lector, vtrum febres Æthiopum, Arabum, Indorum, Hiſpanorum, Italorum, Germanorum, Scytharum, aliarumque gentium & nationum ſint æquales, an vero inter ſe differãt: vt ſi tu apud Thulen conſtitutus febre tertiana laborares, ego vero Conſtantinopoli commorans etiã tertiana affligerer, quis noſtrum magis febricitaret? Dices: qui Cõſtantinopoli ægrotat, magis calet, quam qui Thule, quod inſula hæc Septentrionis vltima credatur, vbi homines rigent. ergo febris tertiana Conſtantinopolitana erit major Thulenſe. At ego reſpondeo, febres omnes, omneſque morbos vbique terrarum eſſe æquales, atque omnes homines, cujuſcunq; ætatis & ſexus,
pari

pari modo ægrotare, cum morbi materiæ eædem ſint in Æthiope, Arabe, Hiſpano, Gallo, Germano, Scytha, alijſque mortalibus: vnde Pleuritis, v. g. ſemper eſt abſceſſus in membranis coſtarum hærens, ſeu ſit æger vir vel femina, juuenis vel ſenex, ſeu ſit Italus, Græcus, Panno, Pœnus, Palæſtinus, aut alterius nationis, & ſic de morbis quibuſcunque. ergo omnes morbi vbiq; terrarum ſunt æquales. Conceſſerim quidem, quoſdam in hunc, vel alium morbum proniores eſſe, non tamen inde ſequitur, febrem Vngaricam, v. g. aut Hydropem Gallicum differre ab Hydrope germano, cum vterque ab vna materia, nempe ab aqua in corpore contenta, affligatur. adeo vt humor in homine morbum creet, non regio; Septentrionales alias nunquã febre ardente laborarent, & Æthiopes nunquam pituita aut phlegmate tentarentur, cum eorum regio ſicca ſit & calida, illa vero humida & frigida. Rurſum dices: quidam morbi in vna regione citius curantur quam in alia, etiamſi ſint ejuſdem ſpeciei, alij etiam alijs ſunt periculoſiores. ergo morbi ejuſdem ſpeciei multum inter ſe differunt. Reſpondeo: ab experientia quidem conſtat,

morbum ejuſdem ſpeciei & naturæ in vno homine, & in vna regione facilius, aut difficilius curari, hoc tamen non fit ex natura morbi, ſed ex accidentibus, & rebus externis, puta, aëre, cibo, & potu, præpoſtera medicinarum applicatione, inobedientia ægroti, aut alio modo quocunque erroneo: nam materia mei morbi, & alterius (febris ardentis, vel Hecticæ, aut quamcunque volueris,) eſt eadem, nempe varij humores in venis majoribus & cordi vicinis, ſtabulantes, qui etiãſi in vno concoctu difficiliores, plureſve reperiantur, non ideo inæqualitatem morbi faciunt, ſed ſolum ſecundum magis & minus differunt, manente eadem materia morbi. vt ſi quartana laborares, alter hac eadem, hic te citius curaretur, morbus tamen non differret, & eſſet eadem febris cum ſua melancholia, vnde orta eſt, vt volunt ſcholæ placita. optime ergo concluditur: ſi duo, treſve homines, pluresve in diuerſis locis febre continua, aut alio morbo laborarent, eſſent morbi æquales, nec inter ſe differrent. Quæ cum ita ſint, non inepte tractamus de cura communi, quæ omni morbo, ætati, regioni, & tempori conueniat: ſi enim, ex ſuppoſito

poſito, febres omnis generis in diuerſis hominibus ſunt æquales, eodem modo communiter debent tractari, & quæ in Æthiopia in febribus obſeruantur, hic Solodori etiam debent obſeruari. Febris tertiana in ſene alia non eſt quam in juuene, aut infante, viro aut femina: tertiana enim fit à bile, ſeu corpus ſit maſculum, ſeu muliebre, deforme aut formoſum. Conueniet itaque cura tertianæ juveni quæ conueniret ſeni, viro aut feminæ, & ita de ceteris. Quæ vero apud me ſit cura communis, breuiter accipe.

Primo, vt morbum quemcunque ad vnguem noſcas, cujus enim rei non eſt certa notitia, ait Celſus, ejus opinio certum reperire remedium non poteſt. Secundo, morem morbi, id eſt, vt ſe habeat morbus ad anni tempora, ad ægri ætatem; vtrum ſæpius morbus immutetur, vagus, aut conſtans ſit. Hoc vbique terrarum, in omni morbo, in omni regione, ætate, tempore cognoſcère conuenit. Spectat præterea ad communem curandi rationem, ſcire ſitum loci, in quo medicus habitat, ſeu ſit ciuitas, caſtrum, oppidum, aut quid aliud: Hippocrates enim affirmat, hæc ad cognoſcendos morbos

communes

communes atque particulares plurimum conferre, dum inquit: *Si quis ad vrbē ſibi ignotam pervenerit, is ejus ſitus curam habere debet, vt cognoſcat quomodo ad ventos aut ſolis exortum ſit expoſita. neq; enim eaſdem vires habet, quæ ad Septentrionem, & quæ ad auſtrum ſita eſt, vt neq; ejus quæ ad orientem ſolem, aut occidētem ſpectat.* Et poſtquā multa de aquis, terra, hominum illorum victus ratione dixit, tandem concludit: *Hæc enim præcipue quidem omnia, aut certe plurima probe qui agnoverit, cum ad vrbem ſibi ignotam peruenerit, eum neq; morbi regioni familiares, neq; communium quæ ſit natura latere poterit, vt neq; in eorum curatione hæſitare aut aberrare poßit.* Curæ communi etiam illud additur, vt medicamentis tentatiuis, ante violenta, ex præcepto Hippocratis vtamur; *In morbis*, inquit, *quos quis minime cognoſcit, medicamentum minime vehemens potui exhibendum. quod ſi inde læuior æger euadat, demonſtrata via eſt, & extenuando curatio inſtituenda eſt. ſin vero minime læuius, ſed ægrius habeat, contraria facienda.* Tempora etiam morborum, in omni regione, ætate, & tempore, acceſsio nempe, augmentum, ſtatus, & declinatio, & ſi morbus ſit homotonus, cōſideranda ſunt,

vt medicamenta recte adminiſtremus. quanquam dubitet Hollerius in Aphoriſmos Hippocratis ſcribens iſta obſeruari poſſe, ſic enim ſcribit: *Hodie difficilior eſt acceſsionum cognitio, quam fuerit tempore Hippocratis: ſiquidem ea tunc multo magis, quam nunc erant ordinatæ, quod omnia fere committerent naturæ: at nunc ſæpius confidimus remedijs artis, ita vt aliquando venam ſecemus, interdum demus cliſteres, ſæpe etiam rationem victus pleniorem præſcribamus, vnde plerumq; immutatur acceſsionum ordo.* Sed ob hanc ipſam cauſam juueni medico cautelam injungimus: ſi enim tempora acceſsionis non obſeruet, præpoſtere omnia aget, & ægrum in pejus dabit precipitem, vt recte monet Hippocrates: *Quicunq; ſtatim per initia morborum inflammationes medicamento purgante ſoluere tentant, ij de contenta quidem atq; inflammata parte nihil detrahunt, cū nihil cedat, quæ adhuc cruda eſt affectio; quæ vero morbo reſiſtunt, & ſana ſunt contabefaciunt. At debili reddito corpore morbus ſuperior euadit, qui vbi corpus ſuperarit, curationem non admittit.* Hoc confirmat Auicenna dicens: *Oportet, vt ſciatur, quod arti euacuare humorem ante illam horam, in qua apparet digeſtio in vrina, eſt inconueniens,*

ueniens, aut difficile malum. Et fortaſſe mouet, & non operatur vltime. Et fortaſſe miſcet malignum cum bono, & eſſet melius homini huic, vt bene opinaretur de iſtis qui fuerunt ſicut Galenus, & Hippocrates in eis quæ ſcripſit de hoc, aut valde intenderet, & tunc rediret ad contradictionem: quia omnis contradictor primus, cum eſt ſuper veritatem, eſt excuſatus. Pergit alibi: *Non oportet vt moueas aliquid in die paroxiſmi, niſi propter neceßitatem.* Quomodo autem iſta obſeruabit medicus, ſi neſciat quando venturus, vel jam præſens ſit paroxiſmus? hac noſtra enim ætate non amplius obſeruantur, quaſi exoleta & priſca ſint, adeo nouus error loco illius antiquæ & perfectæ eruditionis irrepſit.

Vltimum, & quod antiquius ſemper duxi, eſt, parcere frequentioribus fortioribuſq; medicamentis in omni morbo, niſi extrema, quæ quandoque licita ſunt, tentemus: *Omnis enim fere medicina ſolutiua, ſeu laxatiua*, ait Meſue, *eſt de genere venenoſorum, cujus exceſſum natura non patitur.* Et: *Communis medicinarum ſecundum plurimum, malitia eſt, facere ſeneſcere corpus, & frequentantibus iſtas læſionem afferre principalibus membris, quæ ſunt minera virtutũ, &*

& earum motores debilitare, qui ſunt ſpiritus & calor naturalis. Vnde *ſuus omnibus is canon eſt, vt confortetur cor in omni euacuatione, & hæc debet eſſe intentio prima. primus enim occurſus omnium accidentium occurrentium corpori, eſt ad cor, tanquam ad baſim vitæ. Secunda intentio debet eſſe, confortare ſtomachum tanquam ſuſceptorem.* Abuſus medicamentorum damnat Hollerius inquiens: *Catharticorum conſuetudo piſſima eſt, & analogia difficilis*; præterquam quod cogente poſtmodum neceſſitate natura ea reſpuat, aut ita aſſueta fiant, vt potius noceant, quam juuent. Quemadmodum olim Thraſias pharmacopola (vt refert Ioannes Langius in Epiſtolis,) & plerique in Græcia paſtores, integros Ellebori manipulos citra noxam deuorarunt, & concoxerunt: cujus frequentes potiones, ob pharmaci aſſuetudinem Eudemum illum Chium, nec vomitu, nec alui dejectione purgare poterant. Purgare debemus quæ nocent, & aperire quæ clauſa ſunt, ſed ſana corrumpere, & jam peruia adhuc magis laxare, non debemus, vt optime monet Marſilius. *Caue, ne vlla ratione meatus corporis vel ſupra modum pateant, vel nimium obſtruantur: ibi enim in*

reſolutione

reſolutione & injuria extrinſecus inferēda diſcrimen, hic autem in putrefactione, & ſuffocationis periculum. In hoc ſane tota medicinæ ſcientia conſiſtit, & artis totius breue, ſed perfectiſsimum compendium eſt.

Sub purgationis nomine includimus vomitum toties iteratum, ſudores toties excitatos, renumque tot emulſiones. Vomitum olim ejecit Aſclepiades in eo volumine, quod de ſanitate tuenda compoſuit, purgationes ibidem etiam expulit. ille tamen ipſe, ſi quid jam corruptum eſſet, expelli debere confeſſus eſt. Quando vero in morbis ſit purgandum non omnes eodem modo determinant; jam enim medici parum illud *quando* curant, modo purgent, & affatim quidem, & ſæpius: putant nempe totam rem in materia euacuanda conſiſtere. Eſt quidem cura hæc communis, ſed communiter deprauata, id quod experientia quotidie comprobat, dum ſæpius animam *per inferiorem gutturem* demittunt. Hollerius tempus ita determinat: *Ne tempus purgandi definiatur ex dierum numero, ſed ex vrgente neceßitate purgationis, quocunq; die illa ſe offerat: non enim in purgando ſpectandum eſt, hic dies eſt criticus, hic*

dies

dies non eſt criticus; poſſumus enim die etiam critico mouere, ſi nondum mouerit natura. Et huic ſententiæ ego aſſentior. Tu vero, mi medice, ſi recte purgare velis, inſpice Aphoriſmos Hippocratis, Sectionis primæ 2, 20, 21, 22, 23, 24. Sectionis ſecundæ 9, 29, 51. Sectionis quartæ 2, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 17, 18. in reliquis rebus experiẽtia te docebit, modo ſcias, vt cum Celſo loquar, omne auxilium corporis aut demere aliquam materiam aut adjicere, aut euocare, aut reprimere, aut refrigerare, aut calefacere; ſimulque aut durare, aut mollire. Tum illud Senecæ ad curam communem adjice: *Lento adjutorio opus eſt contra mala continua & fæcunda, non vt deſinant, ſed ne vincant. Sanabilibus ægrotamus malis, ipſaque nos in rectum genitos natura, ſi emendari velimus, juuat.* Plato ſuam etiam cautelam juniori medico, ceteriſque mortalibus impertit, dũ inquit: *Morbi, niſi periculoſiſſimi ſint, pharmacis irritandi non ſunt: omnis namque morborum conſtitutio animalium naturæ quodãmodo ſimilis eſt. Sane animalium compoſitio ab ipſo generationis exordio certis temporum curriculis terminatur: idque & genus vniuerſum patitur, & animal vnumquodque ab ortu fatale viuendi ſpatium in ſe-*

ipſo,

ipſo, exceptis neceſſarijs paßionibus, continet. idem quoq; conſtitutionis modus languoribus conuenit. Quos ſi quis citra fatalem temporis curſum pharmacis amputare contenderit, ex paruis ingentes, ex paucis multi euadere conſueuerunt. quapropter diligentia victus corrigendi & gubernandi ſunt morbi, prout cuiq; datur otium, neq; difficile infeſtumq; malum pharmacis inſtigandum. Plutarchus non minus appoſite loquitur: *Peritißimi medici confertim ingruentibus vitioſorum humorum fluxionibus, non ſtatim medicamenta applicant, ſed humorem inde ortum patiuntur foris illitis remedijs ipſum vltro cōcoctione quadā emolliri.* Alibi: *Alui conturbationes, vbi medicamentis corrumpuntur, atq; liquantur certi humores, plus addunt ſuperflui, quam educunt. & nonnulli longißime à recta ratione abſunt, qui ejiciendorum è corpore redundantium humorum cauſa, qui familiares corpori ſunt, & conſueti, in corpus injiciunt Coccos Gnidios, Scammoniam, aliaque medicamenta à temperie corporis aliena, & ſæua, ac quæ expurgari debeant potius, quam corpus purgare poßint.* His tamen non creditur. quare qui non vult ſapere, aſineſcat.

De

De Conſultationibus, mortuis examinandis, Atteſtationibus,

CAP. XI.

QVot putas, jocunde lector, ægros ex conſultationibus, aut miſere vixiſſe, aut omnino interijſſe? tot, credo, vt vulgus ab his jam ſapiat, contentum medicis paucioribus, miſſa illa ignorantium caterua, quæ nunquam in eandẽ ſententiam coëat. Hac de re Hippocrates conqueritur dicens: *At vero ars tota magnam quidem apud vulgum calumniam ſuſtinet, adeo vt nullam omnino medicinam eſſe exiſtiment, ſiquidem in acutis morbis in tantum inter ſe diſſentiunt artifices, vt quæ alter exhibet, veluti optima reputans, ea jam mala alter exiſtimet, fereq; ob id ars ipſa diuinationi ſimilis eſſe videatur.* Cum itaque ita inter ſe altercentur, non mirum eſt, ſi albo coruo ſimilis ſit, qui nec cum coruis verſari poteſt, propter colorem, nec cum columbis propter magnitudinem. Conſultare, non eſt altercari, nec invidere, nec contemnere, nec pertinacem eſſe; ſed eſt, ex communi ſententia ægro bene proſpicere, ingenue fateri, quæ noueris, benignum, docilem, non litigioſum eſſe, &

alia

alia hujuſmodi. Non eſt majus malum in conſultationibus, quam inuidia, & obtrectatio, nam & ægro, & medico obſunt. æger patitur, medicus fraudulenter agit. Obtrectatores & inuidos ita reprehendit Hippocrates: *Qui ea, quæ ab alijs ſunt inuenta inhoneſtorum verborum artificio contaminare cõtendunt neq; quidquam corrigunt, ſed à peritis inuenta apud imperitos traducunt, ij ſane prudentiæ exiſtimationem tueri velle non videntur, ſed potius naturam ſuam, aut ignorationem malitioſe prodere. Solis enim artium ignaris hoc opus competit, qui ambitioſius quidem contendunt, neq; tamen improbitate ſua vllo modo præſtare poſſunt, vt aliorum opera vel recta calumnientur, vel non recta reprehendant.* Ita, inquam, apud complures hoc fit, qui neſciunt, quid conſultare ſit; ordinarium vbique carpunt, ſua meliora obtrudunt, peccatum in medendo obtendunt, ad hoc ſolum, vt ipſi admittantur, quibus tamen nihil magis notum eſt, quam inſcitia & inuidia. Hoc non eſt conſilium dare, ſed decipere. Quam bene Hippocrates! *Hoc jurejurando affirmare audeam, medicum ratione vtentem, alterum nunquam inuidioſe calumniaturum: ſic enim animi impotentiam prodet.* Alterum

terum vitium in conſultatione eſt, quando ordinarius, ſi forte aberrauerit, errorem non agnoſcit, ſed obſtinate in ſua ſententia permanet. Hic ſane error magnus eſt, qui ſi non agnoſcatur, quomodo poterit corrigi? ægroto ſemper pejus erit, nam quidquid alij Conſultores dicant, ille demordere non volet, & ita res ægroti abibit in deterius. Aliter Hippocrates, qui, vt Celſus tradit, à ſuturis caluariæ ſe deceptum eſſe memoriæ prodidit: *more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciā magnarum rerum habentium; nam leuia ingenia, quia nihil habēt, nihil ſibi detrahunt. magno ingenio, multaq; nihilominus habituro conuenit etiam ſimplex veri erroris confeſſio, præcipueq; in eo miniſterio, quod vtilitatis cauſa poſteris traditur: ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis ante deceptus eſt.* Huic vitio accedit alius error, qui ferendus non eſt, quique hominis nequitiam & fraudes detegit, cum nempe ordinarius conſultorum dicta, tanquam melius ſaperet, contemnit, & poſtquam abierunt, præſcripta projicit, & ad ſua redit, tentatque ægro perſuadere, iſtos multa quidem, ſed non ad rem dixiſſe. ſe melius ægri naturá cognoſcere, ideo ſe melius operari. Iſtud

eſt eſſe pluſquam perfidum in ſocios, imo in ægrum ipſum, & tali medico cóueniret non pecuniæ ſtipendium, ſed (ruſtice loquor) funipendium. Conceſſerim, quandoque euenire poſſe, vt ægri medicus ordinarius pluſquam conſultores ſapiat, attamen illi non licitum eſt, ante probationem, hos ignorationis, erroriſve damnare: credibile enim eſt, multos vno plus ſapere. neque fas eſt, ita facile aliorum rationes ſine optima conſideratione, vel potius demonſtratione tam temere vilipendere. *Cum enim de re firma & ſtabili, & mente comprehendenda diſſeritur, ſtabiles ſimiliter, immutabileſq́, & quam maxime fieri poteſt, inexpugnabiles rationes eſſe oportet.*

Contra vero Conſultores etiam maxime peccant, dum nihil aliud quam purgationes medicum ordinarium rogant, quot nempe vicibus, & quibus modis purgauerit, de eſſentia morbi, de ſymptomatis, de cauſa, longitudine, aut breuitate morbi, ne ſomniant quidem, ſed marſupium ſecretorum ſuorum aperiunt, promuntque quoddam, quod, vt ephippium omnibus equis, ita iſtud omnibus morbis conueniat, toties nempe in morbis deploratis probatum; quaſi vero

verò medicina nihil aliud agere deberet, quam purgare. Alius ſi nihil horum, orationes tamen integras recitat, quæ nec principium, nec finem habent, miſcendo ſententias græcas, imo & barbaras, vt ingenium verſatile appareat, ceterum quæ ad rem, nihil minus. Iſtis euenit, quod olim Phormioni, Peripatetico accidit. Cum Hannibal Carthagine expulſus Epheſum ad Antiochum veniſſet exul, proque eo, quod nomen ejus erat magna apud omnes gloria, inuitatus eſſet ab hoſpitibus ſuis, vt Phormionem Peripateticum, ſi vellet, audiret; cumque ſe non nolle dixiſſet, locutus eſſe dicitur homo copioſus aliquot horas de imperatoris officio, & de omni re militari. Tum, cum ceteri, qui illum audiuerant, vehementer eſſent delectati, quærebant ab Hannibale, quidnam ipſe de illo philoſopho judicaret. Hic Pœnus non optime græce, ſed tamen libere reſpondiſſe fertur, *multos ſe deliros ſenes ſæpe vidiſſe: ſed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidiſſe neminem.* Ita iſti loquaculi, poſtquàm diu perorarunt, nihil inde reſultat, niſi delirium. quapropter monendi ſunt hujuſmodi conſultores, vt alium modum conſultandi addiſcant.

 Ratio

Ratio conſilij dandi ægris, ea mihi commoda viſa eſt, quæ breuitatem, & ſenſum perſpicuum ſequitur, & quæ à ſcopo non aberrat. Videlicet, ſi ordinarius perſpicue omnia narret, quæ circa ægrum hactenus acciderunt; quando morbus apprehenderit, & quomodo, quæ ſymptomata ſuperuenerint, à quibus medicamentis bene vel male affectus fuerit, quæ materia ejecta in quantitate & qualitate, quibus diebus; vtrum æger vnquam fuerit recidiuus, aut propter criſin imperfectam, aut propter diætam minus recte inſtitutam, aut propter quid aliud: vt ſecum alij cõſultores modo conuenienti conſultare, & de morbo, & de cura judicare poſſint, dein prognoſtica elicere, de longitudine aut breuitate morbi, de immutando ordine remediorum, & ſi quæ alia neceſſaria ſunt. Quod ſi iſta ſic fiant, ſpera mi medice, aliquid boni ex veſtra conſultatione euenturũ. Dices: inſtructionem ſperabamus, non ſatyram. Satyræ hujuſmodi apprime erudiunt, jocunde lector, ſi recte deglutiantur. & ſcito, hoc *nec pluteum cedit, nec demorſos ſapit vngues.* Si junior medicus iſta obſeruet, ſatis hominem inſtruximus.

Mos eſt in multis ciuitatibus, vt corpora mortuorum in aquis,plateis publicis,aut alibi reperta examinentur quo morbo,vulnere, caſu,præcipitio perierint. Magiſtratus deinde in noxios inquirit. Quare non propter ſe, aut propriam famam, ſed propter innocentiam eorum, qui putabantur rei, aut eorum, qui forte diceretur proprijs manibus & morte violenta perijſſe, caute medico pronūciandum eſt. quis enim ſubmerſum dicet à ſe, aut ab alio præcipitatū? à ſe aut ab alio ſuſpensū? ſe aut ab alio occiſum? etiāſi videatur vulnera, fuſtes,enſes,ſclopeta, attamen de occiſore nihil certi referre poſſumus; quanquā dicamus, hunc hoc aut illo inſtrumento fuiſſe occiſum. Vnde libere dico, hunc morem maximum eſſe abuſum,quantum quidem ad medicum ſpectat; multis enim modis perimus, quis ergo certū diuinare poteſt? Quod velim in Atteſtionibus etiam obſerues, ſi quando rogeris de debilitate viſus, de ſurditate aurium, de morbo comitiali in juuenibus aliiſque affectibus chronicis, propter quos multi juuenes à Religione, multisque officijs arcentur. cum enim iſta ſint accidentia, quæ poſſunt diū durare,& breui interire,

nihil certi in futurum de his pronuntiari poteſt, niſi à bene exercitato; & ab hoc quidem non certo affirmari. Si itaque tibi hujuſmodi aliquid accidat, rebus bene penſitatis dubie tamen adhuc pronuntia.

De Curis grandioribus, imperandis cauterijs, thermis, acidulis,

CAPVT XII.

Nihil eſt tam frequens apud medicos hac noſtra ætate, quā imperare cauteria ad catarrhos deſiccandos, ad viſcerum obſtructiones acidulas, ad paralyſes & cutis vitia balineas. Et plerumque poſt conſultationes res in illud recidit, vt æger, ſi morbus ſit diuturnus, ad alterutrum horum relegetur. Vnde maximus abuſus ortus eſt, dum promiſcue jam omnes morbi, qui non ſtatim vt vult æger, aut impatiens medicus, curantur, per curas has grandiores citius tolli creduntur, quæ tamen ſæpenumero ægros languide contabeſcere faciunt. Cauteria approbo tanquā fluxionum diuerticula, ſed non tanquam cerebri purgamenta: quid enim cerebro cum brachijs, in quibus vruntur? trahūt quidē à partibus vicinis, nempe ex muſculis brachium

brachium circumvolventibus, non autem à ſubſtantia cerebri, quæ per nares, palatum, aures, cutis ſpiracula capitis emungitur. Et ſane pars, vbi cauterium inuritur, plerumque contabeſcit; quod ſignum eſt, alimentum ibi à cauterio corrumpi, & abſumi, vnde putamus, phlegma pituitamque à longe trahi, quod tamen in cauterio ipſo generatur & putreſcit. Caveat ergo medicus, ne tam frequens ſit in cauteriis imperandis, cum nihil aliud ſint, ſi male imperentur, quam ſanitatis impedimenta. Acidulas obſtructa perrūpere, atq; inteſtina ceteraque interiora eluere conceſſerim, ſed quomodo morbo comitiali, vertigini, melācholiæ medeantur, non intelligo, vt neq; percipere poſſum, quomodo pulmones, aut hepar, aut lien iuvent, cum à ſtomacho non decoquantur, neque alterationem ſuſcipiant, ſed crudæ omnino, vt bibitæ erant, commixtæ quidem vrinis, reddantur, eo quod aciditas ante coctionem expultricem irritet, adeo vt videas, quod acidulæ ad id ſolum bibantur, vt meatus laxent, & ita ex conſequenti interiora proluant. Curare autem morbos eſſentiales partium nobilium nequaquam

crediderim. Refrigerium quidem Biberiis præſtant, ſitimque ſiſtunt, ſed non corrigunt, ideo

Si Stomachus domini fervet vinoque, ciboque,
Frigidior Geticus petitur decocta pruinis,

Vt rurſum aliquot annis bibitionibus conſuetis ſe reddant pares. Illud in imperandis acidulis ſummopere miror, quare oporteat ſudorem provocare. Ad quid prodeſt? acidulæ potisſimum bibuntur, vt inteſtina, meſenterium, hepar, renes, quos pervadunt, expurgentur, aperiantur, & refrigerentur: ad quod ſane ſudor nihil juvat, cur ergo imperatur? quia peccatur. Motum, & ambulationes faciles approbo, curſus, & ſudores improbo. Tum morem condemno bis bibendi in die, etiamſi nunc nihil magis ſit commune. Mane jejuno ſtomacho opportune bibuntur, poſt meridiem præpoſtere: ventriculus enim prandium nondũ coxit, vel ſi coxit, inteſtina Chymũ nondum verterunt in chilum, chilus nondum à venis meſaraicis attractus, hepar chilum nondum immutavit, & vt ſummatim dicam, prima concoctio nondum abſoluta eſt. Ergo acidulæ ſi bibantur cum chymo, aut cum chilo

com-

commiſcebuntur. Hoc non debet fieri, ergò acidulæ non bibi: traherent alias ſecum, raperentq; quidquid in inteſtinis vel meſaraicis hæreret. Vnde lienteriæ orirentur, heparque crudis humoribus farciretur. Quare acidulæ ſemel tantum in die, idque manè ſufficiant.

Quantum ad balnea, infiniti modi dantur balneandi, alii namque vtuntur naturalibus, frigidis aut calidis ſimpliciter, aut compoſitis ex variis incoctis; aut naturalibus variis metallis commixtis, qualia ſunt, quæ naturaliter calent. Alij ſolum vaporantur, quod ſtufare vocant, cum non lavant, ſed contecti exhalantem vaporem ad ſe concipiunt. Propoſitum meum non eſt dicere, quis modus balneandi ſit vtilior, hoc ſolum intendo, vt medicus non omnes promiſcuè in quolibet morbo difficili in balnea mittat, ſeu juvenes ſint, aut ſenes, mulieres aut Virgines; & vt conſideratè hæc vel illa balnea imperet, tum modum balneandi doceat, & victus rationem ægro & tempori accommodam conſtituat.

De ſanguinis miſſione, Scarificationibus, hirudinibus, ſeu ſanguiſugis,

CAP. XIII.

SAnguinem inciſa vena mitti, inquit Celſus, *novum non eſt, ſed nullum pene morbum eſſe, in quo non mittatur novum eſt. Item mitti junioribus, & feminis vterum non gerentibus, vetus eſt. In pueris vero idem experiri, & in ſenioribus, & in gravidis quoque mulieribus, vetus non eſt: ſiquidem antiqui primam vltimamque ætatem ſuſtinere non poſſe hoc auxilij genus judicabant, perſuaſerantque ſibi, mulierem gravidam, quæ ita curata eſſet, abortum eſſe facturam. poſtea vero vſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum, aliaſque potiores obſervationes adhibendas eſſe, ad quas dirigi curãtis conſilium debeat.* Iſtas antiquorum admonitiones cautioneſq; ætas noſtra nihil curat, hocque ſolum ex Celſo retinuit: *Poſtea vero vſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum:* parum nempe referre in Sanguinis miſsione qualis ſit ætas quotus ſit mulieris vterus, quo die morbi, imo qualiſcumque ſit morbus, quæ anni tempeſtas, quæ ſit corporis conſtitutio. Quia nimirum

in

in homine aut ægro, aut ſano, juvene aut ſene ſemper ſanguis reperitur, qui educi poſſit. Verum dico ego: immo vero vſus hactenus oſtendit, hæc perperam fieri, in ſanguinis miſſione nihil obſervare, eam toties iterare, in omni morbo, omni ætate ipſum mittere: ſiquidem plures ex præpoſtera vena inciſa interierunt, quam ſervati ſint, quos ſervaſſent, ſi ſanguinis miſsionem intermiſiſſent; vt non dubitem, bene feciſſe Chryſippum Gnidium, dum tentavit ſanguinis miſſionem è re medica auferre, quem ſecuti ſunt ejus diſcipuli, Medius item medicus, Ariſtogenes, & Eraſiſtratus, vt noſter refert Galenus. Sed quoniam melioribus monitionibus ſumus impares, etiamſi vellem te bene monere, mi medice, monita contemneres, meliora, vt putas, te docente vſu, proferam tamen ingenue ea, quæ de ſanguinis miſſione ſentio. Eam vtilem atque neceſſariam affirmo, & in ijſdem morbis atque occaſionibus vt antiqui voluere. Nempe, in omnibus inflammationibus partium internarum, hepatis, lienis, Renum; externarum, capitis, oculorum, Ereſypelatis, & aliarũ hujuſmodi. Item in plethoricis, & ijs

 qui

qui ſæpenumero hæmorrhagiam patiuntur, & quibus cóſuetæ hæmorrhoides ſiſtuntur. Quid vero venæ ſectio in meſenterij obſtructionibus, in melancholia hypochoſidriaca, in nephritide, in lienteria; in diarrhœa, in dyſenteria, in hydrope, proſit non video, dicente Galeno, *nec obſtructionem, nec putredinem curari poſſe per ſanguinis miſſionem*: etiamſi enim totum venarum arteriarumque ſanguinem exhaurires, dyſenteria, quæ vlcuſcula inteſtinorum creditur, diarrhœa item, quæ cibos inconcoctos demittit, cum lienteria quæ inteſtinorum mucum ejicit, non curarentur; vt neque hydrops aqua intercute à venæ ſectione minueretur, quæ aliquoties à frequenti ſanguinis miſsione oritur, vt Auicenna, pluresque alij medici docent, tum experientia comprobat. Vnde Galenus: *per annum venā ſæpius incidere, haud expedire arbitror, quippe cum vna cum ſanguine vitalis excernatur ſpiritus.* Neque video, quomodo calculus renum, aut veſicæ per venæ ſectionem extrahi poſsit, aut dolor dentium ſiſti, aut pars quæpiam luxata reſtitui. Cur ergo ſanguis mittitur? quia peccatur. Si ſanguis non peccet, quare mittendus? In apo-

appplexia peccat ventriculorum cerebri obſtructio; quid ergo ſanguini cum cerebri obſtructionibus? materia quæ obſtruit eſt extra venas; qui à ſanguinis miſsione poterit educi? imo Avicenna dicit, ex frequenti ſanguinis misſione tandem oriri Apoplexiam. Lethargus eſt vitium cerebri; quomodo ex ſanguinis misſione corrigetur? Imo volunt hunc eſſe morbum frigidum, qui poterit per ſanguinis miſsionem curari? Mittantur ergo tandem tam frequentes abuſus, & modi curandi meliores diſcantur, & Galeno, cujus tamen authoritati alias plurimum tribuo, non credant, dum dicit, ſe in ſomno fuiſſe monitum, vt arteriam in manu, inter pollicem & indicem ſitam ſecaret, pro curando dolore ex parte hepatis continuo; ſomnium enim fuit; nam ipſemet nunquam juſsit vigil arteriam quampiam ſecare, cum per ſe maximum ſit periculum arteriam aperire. Quomodo ergo ſui compos potuiſſet arteriam minutam aperire ad ſiſtendum hepatis dolorem, cum illa arteria ad hepar non pertingat? Et dolor eſt ſolutio continui, hæretque ſolum in parte ſenſili, nempe in nervo aut membrana, quæ ſangui-

nis expertia ſunt. Ergo dolor hepatis, aut alterius partis cujuſpiam à ſecta arteria non tolletur. Somniavit itaque Galenus. Hippocrates, medicorum princeps quidem, ſed vt in caluarie deceptus fuit, ita in ſanguinis miſsione ad inducendam ſterilitatem errauit, vbi ita ſcribit: *Ad inguina autem & femora interiore parte ſcinditur* (vena caua) *& diſparationes in cruribus facit, & ad tibiarum interiorem partem iuxta malleolos fertur. Eæ ſi ſectæ fuerint, hominem infecundum reddunt.* Quod ſi de vulnere loquatur, quod per ſectionem infligitur, facile poſſunt venæ ſecari, præcipue manu chirurgica, dum tibiam amputant, aliter neſcio quomodo ſecari poſſent. Sed quocunque modo illud accidat, ab abſciſſione venarum illi, quibus abſcinduntur, non fiunt ſteriles, vt experientia hactenus in viris & mulieribus demonſtrauit. Nec verum eſt quod dicitur, ſi venæ temporales abſcindantur, hominem fieri impotentem ad generandum, vt refert Valeſcus libro ſexto ſui Philonij dicit enim ſe multis venas illas aperuiſſe, eos nihilominus remanſiſſe fecundos. Quod vero vterque Hippocrates & Galenus jubeat in febribus ſanguinem mittere, rectiſsime jubet,

bet, præcipue in febribus ardentibus, Synochis putridis, alijſque febribus intermittentibus. quanquam in his Auicenna dubitet dicens: *Conſilium meum in phlebotomia eſt, vt dimittatur quantum poßibile eſt; ſi autem non eſt poßibile, tum multitudo numeri eſt melior multitudine quantitatis.* Galenus aliter. *Mißio ſanguinis,* inquit, *maximum plane, vbi valentes ſunt vires, remedium continuæ febris. id quod tum ratione, tum experientia diſcitur.* Alibi: *In ardentißimis febribus ſi vſq; ad animi defectionem ſanguis mittatur, ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur, & plurimis etiam alvus citatur, & ſudores emanant, & quidam eorum ex his ſanitati ſunt reſtituti, alij adjuti plurimum vehementiam ægritudinis abſciderunt.* Nullus medicus hactenus in febribus vtilem ſanguinis miſsionem negauit, niſi quis eam omnino abdicauerit, etſi tempus mittendi non eodem modo determinent, quomodo nimirum, & quando ſanguis mittendus ſit. Galenus cautelã imponit dicens: *Qui febres cunctas in principio venæ ſectione indigere autumant, non mediocri noxa ægrotos afficiunt.* Febres intermittentes ſtatim ab initio, & ante coctionem, & diebus paro-

xiſmi

xiſmi ſanguinis miſsionem non admittunt: Quartanæ, Hecticæ omnes, Phthiſis, eam omnino prohibent; peſtis etiam, ſi dijs placet. Et quamuis ſanguis in febribus mitti debeat, in paroxiſmo tamen, & in ipſo morbi impetu mittendus non eſt, dicente Celſo: *Quod ſi vehemens febris vrget, in ipſo impetu ejus ſanguinem mittere hominem jugulare eſt.* Deinde procraſtinationem miſsionis damnat: *Vt aliquando etiam primo die ſanguinem mittere neceſſe eſt, ſic nunquam vtile poſt diem quartum*: Valeſcus addit: *in febribus acutis ſtatim ab initio ſanguis eſt mittẽdus, ſi conueniat, ſerius alias magis nocebit, quam juuabit.* De tertiana pura hæc profert: *Nunquam in tertiana pura ſanguis miſſio competit, niſi poſt tres aut quatuor acceſsiones, & ſi adſint ſigna coctionis, & virtus ſit fortis.* Hoc ego adjungo, nunquam venæ ſectionẽ in tertiana pura conuenire, vt neque in Ictero. Quod in variolis & morbillis ſanguis mittatur, cauſam non intelligo, temeritatem vero agnoſco, plures enim vidi quam maxime periclitari, quam ſanari, præſertim pueros ſeptennes, & hos infra; quod natura in expulſione materiæ impediatur.

Quæritur, vtrũ in Phrenitide oporteat mittere

tere ſanguinē. reſpondes, vt arbitror, friuolā eſſe quæſtionem, mitti enim ſanguinem omnibus modis, fronte, ſub lingua, pedibus, brachijs, extrahi ad libram vnam, imo ad deliquium vſque, atque hoc ita frequens eſt, vt nemo de hac egregia praxi dubitet. Ego tamen Aſclepiadi hac in re addictus aſſentior, qui perinde eſſe dixit phreneticis ſanguinem mitti, ac ſi trucidentur, rationem hanc ſecutus, quod neque inſania eſſet, niſi febre intenta, neque ſanguis niſi in remiſsione ejus recte mitteretur. Si phrenitis ſit inflamatio membranarum cerebri, vt ſcholæ volunt, à ſanguinis miſsione non frigeſcent, cum qualitas inhæreat ſubjecto; quæ qualitas non dependet à ſanguine, ſed à membranis nimium calentibus. Si membranæ cauſa ſint phreniti-dis, ſanguis miſſus has non curabit, cum inflammatio non tollatur, & per conſequens cauſa phrenitidis non tolletur. Imo à venæ ſectione omnes phrenetici pejus habent, niſi caſu non ſanguinis miſsione reſipiſcant. atq; hoc in multis expertus affirmo. Neque vnquam ſanguinem mitterem, niſi populariter mouerer, idque vnica vice, & ſtatim poſtquā ſum vocatus, ſi fieri poſsit. Valeſcus, qui cum omnibus

omnibus ſanguinis miſsionem admittit, dicit, in phrenitide, poſt tertium diem nihil prodeſſe, ego ſemper obeſſe. Eadem ratio dabitur pro Paralyſi, Mania, Apoplexia, alijſque morbis cerebri. Hodie temere in Apoplexia & Paralyſi ſanguinis miſsionem tentant, quanquam velint, quod in Paralyſi, ſi omnia membra vehementer reſoluta ſint, feliciter ſanguis mittatur. Celſus dicit, *Sanguinis detractionē vel occidere, vel liberare. aliud curationis genus vix vnquam ſanitatem reſtituere, ſæpe mortem tantum differre, vitam interim infeſtare.* Vtrum venæ ſectio in morbo caduco ſeu comitiali conueniat, non auſim affirmare, cum rationem non inueniam, quomodo à ſanguinis miſſione morbus chronicus, vt eſt morbus caducus, tolli, vel curari poſsit, quamuis Celſus dicat conuenire, dum inquit: *In comitiali morbo, vbi concidit aliquis, ſi nulla neruorum diſtentio acceſsit, vtiq; ſanguis mitti debet, ſi acceſsit, non vtiq; mittendus eſt, niſi alia quoq; hortentur.* In Pleuritide, ſi vnquam alias, ſtatim ab initio adminiſtrata confert, poſt maturationem ſputi fruſtranea eſt; & poſt ſextum aut ſeptimum diem nimis tarde eſt ſanguinem mittere. Podagrici etiam à

ſanguinis

ſanguinis miſsione leuantur, vt teſtatur Galenus inquiens: *Sæpenumero accidit, vt plures arthriticos juuari, ſanariq; poßint, ſi verno tempore, quando potißimum humores mouentur, purgentur, & ſanguine minuantur. Verum intemperantes, vinoſoſque ac ventri, gulæque deditos, neque purgatione, neque ſanguinis mißione magnopere adjuueris.* Vbi vero ſanguinem mittere oporteat, ſic innuit: *podagricos ex cubito purgato, comitialibus vero morbis, vertiginibuſq;, obnoxios potius ex cruribus.* Præceptum Galeni in mulieribus ſanguinem mittendi in ſuppreſsis menſtruis omnibus notum eſt. quod ita habet: *Plenitudines à ſuppreßis menſibus ortas omnino per crura euacuabis, ſiue venam ſecare oporteat, ſiue ſcarificare. ſectæ enim in cubito venæ mulierum reuellere purgationem aſſolent.* Plura de ſanguinis miſsione apud probatos authores reperies. Hoc mihi imprimis potiſsimũ cōmodum in venæ ſectione viſum eſt, *Euacuationem dum voles poſſe ſiſtere, ac rurſum quo videatur tempore, fluere ſinere.*

Eſt inſuper aliud genus emittendi ſanguinis, quod ſcarificare vocant; fit cum cutis conciſa eſt, ſuper cicatrices cucurbitulæ aut æneæ, aut vitreæ cum flamma ponũtur, ſicq;

ſanguis

ſanguis velut ſugendo tam alte quam fieri poteſt, trahitur. Adhibentur etiam ſiccæ cucurbitulæ, ita enim vocant, quando cutis non inciditur, ſicque ſpiritum tantum trahunt, quando à parte materiam trahere volumus, aut dolorem ſedare, vt in torminibus ſuper vmbilicum, aut ſuffocatione matricis. ſolemus etiam ſiccas imponere ſcapulis, in catharris intra cutem fluentibus. Balneatores noſtri per ſigna Ephemeridum noſtrarũ (calendaria vocant) regulantur, & vulgus cum ſtrepitu peluis cypriæ conuocatur, & ſic vnuſquiſque in ſignum proprium animaduertit, vt tuto ſcarificari poſsit, nec aliam regulam norunt. Obſeruant etiam vulgo ſingulis annis dies Iouis menſis Martij, dum credunt, ſe toto anno ab incommodis cutis & catarrhorum (doloris nempe dentium, dorſi, & oculorum) fore liberandos, ſi cum balneatione ſcarificentur. Sed quam hoc ineptum ſit mi medice, ipſemet judica. Quid enim dies Iovis menſis Martij cum ceteris diebus totius anni futuris? cucurbitulæ, ſi ſanant, tantum ſanant quod jam ægrum eſt, non hactenus ægrotandum, cum infirmitas futura à præſenti remedio non cu-

retur. Evacuantur quidem humores jam collecti, ſed futuri non poſſunt impediri, quin identidem ex varietate victus, & partium debilitate non ſuccreſcant. Vnde præcautio iſta menſe Martio, idque diebus Iovis facta, ſupervacanea eſt. Rationem reddere non poſſum, quare pro ſcabie in manu ſcarificatio adhibeatur, cum ſcabies per totum corpus ſparſa ſit; non ergo per manum ſolam hæc materia per totum corpus fluens revelli poterit. Galenus jubet: *manu laborante ſcarificabis crura, ſi ſcarificatio adhibenda ſit, altero crurum male habente, reliquum.* Adeo vt non pars ipſa affecta ſcarificanda ſit, ſed oppoſita, aut ſaltem proximior. Solent quidam podagrici in puncto lunationis primæ, primilunium dicunt, crura ſcarificare, aut vtrumque, vel ſaltem alterutrum; quod exiſtimēt hoc genus curationis podagras lenire, impetuſque earum tardare. Ego ad hoc dico, ſi ſcarificatio ſanet, omni tempore poterit adminiſtrari, ſi Lunatio, mera eſt ſuperſtitio: plerique enim lunationem non intelligunt, nec tempus lunationis, quando nimirum incipiat luna creſcere, ſed tantum ex Calendariis vulgaribus diſcunt. Vt vero

ſcitur

ſcitur, rariſsime iſtos egregios vales conve-nire, quomodo ergo certo ſcitur punctum Lunationis? qui rem non intelligit, neſciet quis erraverit. Ergo forte fortuna ſcarificabit. Si bene habuit, ſcarificatio, non lunatio fecit, cum punctum illius neſciebatur. Quare fruſtranea eſt lunationis obſervatio. In aqua intercute feliciter abſque cucurbitulis crura & coxendices ſcarificamus, vt nos hactenus experientia docuit. Vt ſummatim dicam, hoc auxilium vt minus vehemens, ita magis tutum. Sciamus item, hic vt nullum periculum, ita levius præſidium eſſe, nec poſſe vehementi malo, niſi æque vehemens auxilium ſuccurrere.

Hirudines, ſeu ſanguiſugæ, ſtatim à captu non debent applicari, ſed in vaſe vitreo cum aqua recenti ſervari, vſque dum mucum evomuerint. Ruffas deteſtantur, ſubnigræ petuntur. Locus, vbi applicandæ ſunt, diligenter debet mundari, roſtrum alias non infigunt, præcipue ſi locus ex oleo aut pinguedine madeſcat, aut gravi odore fæteat. Fouendus itaque aquâ tepida, vel vino, ſpongia deinde optime tergendus. Galenus ſuadet locum illinere oleo & nitro,

ſed hic modus nunquam mihi placuit, cum hujuſmodi linimentum abhorreant. Detrahendæ non ſunt, niſi turgeant, cum ipſorum roſtrum rumpatur, & inde mala cicatrix fiat. Quod ſi eos cito abijcere velimus, antequam ſatureſcant, ſale fricandæ ſunt, & ſtatim decidunt. Cruribus plerunque applicantur pro varicibus, alijſque coxendicum malis; tum in ano, quando Hæmorrhoides ſiſtuntur, aut lien ægrotat. Fronti etiam appenduntur, in Lethargo, aut dolore capitis diuturno. Brachiis rariſsime, cum nihil ex venis, parum ex muſculis trahant. Sane ſi nihil juvent, ſaltem nihil nocent.

De Morborum Temporibus,

CAPVT XIV.

Morbi tempora, inquit Galenus, *ſunt quatuor, principium, incrementum, ſtatus, & declinatio. Etſi plurimi morbi ante occidant, antequam ad iſta quatuor perveniant.* Ita neceſſariam medico horum temporũ animadverſionem arbitror, vt neutiquam credam, quidquam boni circa ægros fieri poſſe, quanquam juniores medici hanc vilipendant, ſolum tumultuariæ operationi intenti,

tēti, quodcunq; tandē ſit morbi tempus,aut ægri conſtitutio; totius tamen medicinæ artificium circa hæc tempora verſatur. Quod ſi nihil iſta obſervare referret, ſtatus idem eſſet ac principium, principium vero declinatio, & declinatio incrementum, cum hæc tempora inter ſe non differrent. Oporteret itaque ea fieri in ſtatu, quæ facienda eſſent in principio, & in declinatione ea, quæ in incremento, cum in his nulla eſſet diſparitas. Verum hoc abſurdum eſt mi medice, & ideo error iſte modernus nihili faciendi tempora tam profunde impactus auerruncandus eſt, atque oſtendendum, in his cognitis ægri mortem & vitam conſiſtere, facilemque aut difficilem morbi curationem effici. Nonne, mi medice, æger in priucipio morti aliter ſe habet quam in incremento, in ſtatu quam in declinatione? ergo hæc tempora inter ſe differunt. Ergo obſervanda ſunt. Ergo in principio morbi aliter, in incremento aliter, in ſtatu aliter, & in declinatione aliter agendum eſt. Principium vero morbi dicitur, quando quiſpiā incipit ægrotare, incrementum cum morbus poſt horam, plus minus, poſt diem, increſcit,

creſcit, ſtatus, cum morbus in vigore eſt, id eſt, cum morbus neque creſcit, neque decreſcit; ſed in eodẽ motu permanet; declinatio, cum morbus cum ſymptomatis remittit. Eodem modo ſe habent tempora paroxiſmorum in febribus intermittentibus, ſua enim tempora habent febrium recurſus.

Quæres, vtrũ hæc tẽpora in omnibus morbis reperiãtur; vtrum v. g. in Apoplexia, Angina, phrenitide, alijſque morbis acutiſſimis, qui in motu velociſſimi ſunt detur principium, incrementum, ſtatus & declinatio. Ratio quærendi eſt, quia in morbis ſubitaneis quæ inadvertẽter corripiunt, & ſtatim occidunt, non dabuntur hæc quatuor tempora. Ergo tẽpora non poterunt obſervari, & ex conſequenti minus poterunt curari, id eſt, in curationem ſuſcipi. Reſpondeo, nullum eſſe morbum tam præcipitem, quin ſua tempora non habeat, quamvis ſint imperceptibilia propter velocitatem motus. vnde Apoplexia ſua tempora habet: nam procul dubio incipit quando nondum eſt, increſcit, alias ſemper inciperet, ſtatum habet, alias ſemper increſceret, declinat, id eſt, intermittit, alias ſemper duraret. Et ſic de

liis morbis velociſsimis. Principium mors bi neminem occidit, ergo vt occidat, oportet increſcat & ad ſummum perveniat, vbi tunc primo morimur, & non ante, nec poſt. ergo omnes morbi ſua tempora habent. non poſſunt quidem obſervari propter velocitatem, nihilominus perficiuntur. Atque hæc tẽporum velox abſolutio efficit, vt iſti morbi ſint lethales; cum occaſio & otium non detur medico ad applicandum ea quæ neceſſaria fuiſſent. Videndum itaque, quid vnoquoque tempore morbi facto opus ſit.

In principio morbi hæc jubet Celſus: *Initia morborum primum famem, ſitimq; deſiderant, ipſi deinde morbi moderationem, vt neque aliud quam expedit, neque ejus ipſius nimium ſumatur.* Imperat nimirum in principio morbi cibi & potus abſtinentiam, ne ſtomachus & natura graventur à repletione, quæ potiſsimum morbos difficiles reddit: deinde jubet auferre impedimenta quæ ſanitatem morantur, vt ſunt præpoſtera medicinarum applicatio, quæ morbum ſummopere auget, humorum cruditas, quæ mali fomes eſt. Hæc debet coqui, illa cito & poſt coctionem adhiberi. adeo vt optima regula ſit, initium morbi vniuſcujuſque ita

inſtituere, vt poſtmodum recte poſsit regi ad declinationẽ vſq;, id eſt ita curã incipiat medicus, vt agenda hactenus à bene incepto depẽdeant: ſi enim male incipiat, male finiet. Optimam curam incipies, mi medice, ſi ita egeris, vt Hippocrates jubet inquiens. *Exacte tenere oportet propriam cujuſq; temporum anni conditionem & ſtatum, morbumq; ipſum, & quidnam boni commune ſit conſtitutioni cum morbo, quidnam & mali conſtitutio & morbus inter ſe commune habeant.* Ac ſi diceret, non ſufficit morbum cognoſcere ad curam inſtituendam, ſed & anni tempora noſcenda ſunt. vtrum æger æſtate, autumno, hyeme, aut vere laboret; quæ ſit illius temporis conſtitutio: vtrum naturali conveniat, aut diſcrepet, vtrum ſit ſinitas nimia, vel frequentes pluviæ, nebulæ, magna frigora, magnive calores, & alia hujuſmodi. Vtrum morbus cum anni tempore concordet necne. quod ſi iſta teneas, curam bene inceptam ad finem feliciter perduces. In incremento nihil agimus, niſi quod à principio morbũ, ſi fieri poſsit, impediamus, ne increſcat, obviamus enim ab initio ne morbus incrementum accipiat. Incrementum vero fe-

brium intermittentium, ſeu paroxiſmorum impetum nunquam licet impedire, vt plerique ſolent, nam illo tempore potiſsimum humor peccans movetur, tentatque natura ſeſe exonerare à materia ejectu difficili. Vnde peſsime agunt, qui febrem cum aſpleniis mitigant, retardant enim calorem, qui humores facilius concoqueret. Populariter vero bene agitur, vt æger ſaltem refrigerium ſentiat, & periodum febris facilius toleret. Statum quod attinet, magnum negotium faceſsit, dum omnia mala vigent, inſomnia, deliria, varia & difficilia ſymptomata, ſitis inexhauſta, dolores, convulſiones, & ſi quid aliud deterius accidere poſsit. tum aſſiſtentium in vtrãque partem titubatio, dein pauxilla ſpes, mox deſperatio; ipſimet medico mens vacillat, atque dubius inter ſigna futuræ criſis hæret, vtrum natura an morbus prævaleat; adeo vt Galenus bene dixerit: *Generoſi medici, atq; arte Hippocratica digni eſt officium, futurum ſtatum præcognoſcere, cum omnem victus rationem ad ipſum inſpiciens inſtituat.* Quaſi diceret, in cognitione ſtatus omnem operam conſiſtere, & medicationis, & victus rationem tum bene inſtitui, quando

do ſtatus præcognoſcitur: ſcit enim tunc medicus, quid agendum aut omittendum ſit. Et ſcit, in ſtatu futuram bonam vel malam criſim. ſcit, quot diebus, aut ſeptimanis tardet ſtatus. ſcit item, in morbis difficilimis (acutiſsimos, & peracutos vocant) cito ſtatum advenire, dicente Hippocrate, morbos peracutos ſtatim ſummos habere labores. ſcit etiam, incipientibus morbis movendum eſſe, ſi neceſſarium ſit, vigentibus (in ſtatu exiſtentibus) præſtare multum quieſcere. ſcit adveniente ſtatu, noctes præcedentes eſſe laborioſas. ſcit vrinas immutari, hæmorrhagias fluere, ſudores erumpere, ventres ſolui, multaque alia fieri, quæ ſignificant, ſtatum jam criſim moliri. Vnde iſte generoſus medicus à ſymptomatis & accidentibus in ſtatu non timebit; ſed plenus conſtantiæ, & ratione vtens ægrum in difficili ſtantem recte & ſecundum artem tractabit, atque ſententiam Hippocratis obſervabit, *quæ judicantur, vel judicata jam perfecte, non oportere movere, neque quidquam innovare, quocunque tandem modo id fiat, ſed omnia ſinere, & ceſſare.* Nec talis medicus à vulgi obganniitu movebitur, vt con-

tra rationem agat, ſed præceptis inſiſtens conſulto ſecum operabitur, atque ad morbi, non ad vitæ declinationem ducet; in qua natura in expulſione materiarũ coctarum facile & tuto juvatur, vel immutatur, vel augetur. Vltimũ proſpicitur, ne æger à reliquiis non plene exportatis recidivas patiatur. Quod ſi iſta benigne acceperis, jocunde lector, errorem aut meum, aut tuum corriges.

De Occaſione in ægris tractandis,
CAP. XV.

OCcaſio, opportunitas, tempus commodum, apud me vna eademque res eſt. Occaſio autem Ciceroni dicitur *pars temporis habens in ſe alicujus rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem.* occaſio in medicina nihil aliud eſt, quam noſſe tempus opportunum, in quo liceat medico aut tardare, aut præcipitare, aut auſterum, aut humanum eſſe aut ſimulare, aut corripere. quod ſi iſta non commode fiant, magnam moleſtiam ægro & aſsiſtentibus parient. vnde Galenus: *Sæpe fortuna* (occaſio) *non contemnendam adipiſcendæ laudis anſam ſuggerit, ea tamen vulgus medicorum ob imperitiam vti neſcit.* Vt recte tempore opportuno vtamur, magno opus

eſt judicio & animi firmitate, ſi enim mens vacillat, facile turbabitur, & loco occaſionis bene agendi, errorem magnum committet: nam *non parvæ eſt opus ſcientiæ*, inquit Galenus, *non permutari ab his quæ recte viſa ſunt, etſi nondũ manifeſta appareat vtilitas ex his ſequi ad ea quæ ita facta ſunt.* Intellectus itaque ſibi præſens ſemper judicabit quando & qua occaſione agendũ ſit. tardabit quippe, quãdo tardandum erit in pharmacis dandis variis modis præparatis, in ſanguinis miſsione, in cibando, in ſudore excitando, in ſomno provocando, impediendo, vrinis movendis aliiſque operationibus medicis. Præcipitabit item quando præcipitandum erit, dando ſcilicet pharmaca potentiora, mittendo ſanguinem ter, quater, quinquies, plus, minus, etiam ad deliquium vſque, ſeu noctu ſeu interdiu hoc fiat, imo omnia alia extrema tentando, ſi occaſio adſit. Dein ſi æger aut aſsiſtentes non obediant, ſeverius imperabit, vt juſſa promptius & diligentius fiant. Contra vero rigorem ponet, ſi æger potiones prægrandes non hauſerit, vel potum nauſeet, aut pharmacum omnino faſtidiat; æquum enim eſt, vt quantum fieri po-

teſt, medicus ægro ſeſe accommodet, medici enim moroſitas ægrum non curat. Ad hoc medicos hortatur Hippocrates: *In quibuſdam ægrotis eſt gratificandũ, velut eſt: vt munde tum potus tum cibus parentur; tum etiam quacunque videt, & attingit, mollia ſint. In aliis quoq; gratificari oportet, quæ non magnam noxam afferũt, aut quæ facile ſarciri queant, velut frigida, vbi ea opus eſt. In his etiam medicum ægroto ſe gratum præbere convenit, qualia ſunt ingreſſus, ſermones, corporis habitus, veſtitus, tonſura, vngues, & odores.* Addit Rodericus à Caſtro Luſitanus, ex mente Hippocratis: *quemadmodũ in humanis actionibus multa amicis dantur, temporibus multa, multa etiã locis; ita præſtat in morborum curatione aliquid tempori largiri, aliquid regioni, ætati aliquid, aliquid etiã conſuetudini, cũ præſertim morbus chronicus fuerit, aut in frigida regione, vbi non tanta eſt morborum acuties, aut partes occupaverit ignobiliores.* Quantum ad ſimulationem idem author pro omnibus loquitur: Non ſimulare ſolum ac fingere, ſed interdum mendacio vti medicum oportere, plerique cenſent, vt ſalutem ægri artificioſe conſequatur. Atque ego hoc affirmo.

Occaſionem illam non approbo, quã plurimi medici tẽtant nanciſci, vt ſeſe officioſe decipiant; minus illam, in qua ob avaritiam non ægri ſalutem, ſed pecunias quærunt; neque illam, in qua plus paraſitant, quam curant. contra iſtos *occaſioniſtas* decentem querelam inſtituit Galenus inquiens: *Poſtquam multos reperire eſt, non in medicina ſolum, ſed etiam in ceteris artibus, qui apparere, quam eſſe malunt, ſiquid in diſciplinis ineſt optimum negligi cæpit: contra exquiri ea, ex quibus vulgo plurimi fiant. dicere inquam & agere in alienam gratiam, adulari, divites & primarios cives mane officioſiſsime ſalutare, comitari poſtmodum, domumque deducere, cænantibus inſuper ſatellitum inſtar aſtare, ſcurraſque agere. atque hinc eſt orta communis illa omnium artium infelicitas, quæ noſtra ætate irrepſit.* Mittito itaq; mi medice, iſtas occaſiones male agendi, melioremque viam ingreditor, & eam occaſionem, qua ægro prodeſſe poſsis, arripito.

Quando experimenta ſint periculoſa,
CAP. XVI.

Experimenta in re medica, vltimaque tentare in morbis licitum eſt, vt quando re-

media ſecundum rationem adhibita non proſunt, vehementia, vltima, imo & contraria adhibeantur; quos enim ſæpe ratio non reſtituit, temeritas adjuuat. Et pertinacia juuantis malum corporis vincit. tum ſatius eſt anceps auxilium experiri, quam nullum. quod Galenus confirmat his verbis: *Satius eſt aliquid nonnulla fiducia, vel cum periculo facere, quam ſpe adempta certo perire: tanto profecto ſatius eſt potentibus præſidijs pugnare, quam nihil agere.* Vtrum vero experimenta, & caſus cautelam admittant, non facile dixerim, cum ſolum ex effectu, & non ex ratione probentur: quod enim Iaſonem Theſſalum, qui volebat interficere, gladio vomicá ejus aperuit, eaque rupta ſalutem homini attulit, cauſa rationalis dari non poteſt. Experiri in homine venena rationabiliter fieri non poteſt, & ſi non pereat, non poterit dari ratio quare non perierit. nam *multa ſtant in experimento,* inquit Valeſcus, *quæ nunquam fuerunt, nec de præſenti ſtant in ratione.* &, *non omne experimẽtum poteſt probari, nec confirmari.* Quamuis res ita ſe habeant, caute tamen adhibenda ſunt experimenta & tempore commodo, cum ſint per ſe periculoſa; ſi promiſcue tentẽtur, peri-

periculoſiora fient. ſi enim quidquid ad intentionem animi,aut prudentiam exigit,non protinus faciendum,minus fieri debebit protinus,quod damnoſũ eſt,nempe experimentum,quod ſemper eſt periculoſum. Præterea notum eſt, quod in morbis nihil ſit magis periculoſum nec pernitioſum magis, quam immatura medicina. Experimenta etiam in multis diuerſa ſunt; pluribus profuere, alijs vero damno & exitio fuerunt: quod in medicina, vbi perpetuum eſt, quod fieri debet, non tamen perpetuum, quod ſequi cõvenit. Prohibet Galenus experimẽta non tuta dum ita loquitur: *In corpore humano illa experiri, quæ non ſunt experientia comprobata, non eſt citra periculum, cum mala experientia ad totus animalis interitum terminetur.* Tandem dico, medicum poſſe quidem multa experiri, extremaque tentare, ſed non ſemper, & eodem modo: vbi enim nulla ſpes ſupereſt, fruſtra experimentum adhibes, adeo vt Galenus recte dicat: *In quo deſperata omnis ſalus eſt, imprudentis conſilij fuerit, apud uulgum infamare præſidia, quæ multis fuere ſaluti.* Tenta ergo aliquid, mi medice, quando vires conſtant, non quando corpus jam friget, vt multi faciunt,

 dum

dum arbitrantur vim reſtituendi hominem, in ſolis remedijs conſiſtere, ſeu natura labaſcat, ſeu vigeat. Cum in Iliaca paſsione (miſerere vocant) mercurium crudum damus (experimentum valde periculoſum) non vltimam horam exſpectamus, ſed ſtatim vbi alia non conferunt, hoc propinamus, vt natura, firma nonnihil, ſua etiam tenet, & vim mercurio ad expellendum addat. Hic error varia experiendi multos jam occidit, propter ſolam dandi ignorantiam, dum morbum quocunque tempore cogere tentant, cogunt vitam ceſſare, & animam migrare. Caue ergo, ne præpoſtere experimenta, eaque varia in ægroto corpore adhibeas.

De Erroribus popularibus,
CAPVT XVII.

HIc tricas, & quidem ingentes excitamus, jocunde lector, dum pereunte ægro errorem in aſsiſtentes & vulgus rejicimus, hoc vero in ignarum medicum. extricemur ergo vterque. Tria ſunt, quæ artem medicam circumſcribunt; morbus, æger, medicus, artis adminiſter. Si ergo morbus aliquis curandus eſt, ipſe æger debet cum medico morbo

reluctari,

reluctari, vt nos docet aphoriſmus Hippocratis: *Oportet autem non modo ſeipſum* (medicum) *exhibere promptum ad ea, quæ decent facienda* (in ægro curando) *ſed & ægrum, & præſentes, & externa.* Sit medicus in viſendis ægris diligentiſsimus, ſit in omnibus actionibus conſideratiſsimus, ſit in praxi feliciſsimus, ſi æger cum domeſticis, & ijs qui ſibi famulantur, fraudulenter agant, inobedientes ſint, caſus eſt, ſi æger conualeſcat. quomodo enim curabitur, qui ſui curã ob propriam malitiam, reſpuit? *Pars ſanitatis, velle ſanari, fuit.* Ac ſi diceretur, qui alacriter, & ex animo ea facit, quæ ad curam jubentur, jam ferme ſanus eſt. Hujuſmodi ægris, ſui impotentibus, euenit illud quod olim Lyſimacho: hic enim apud Getas ſiti eo redactus, vt ſe cum toto exercitu in poteſtatẽ hoſtium dederet. poſtea cum frigidam bibiſſet, *dij boni*, inquit, *quam ob breuem voluptatem, ſummam amiſi voluptatem!* Ita, inquam, iſti ægri, in ſeipſos impoſtores, cum ad extrema peruenerint, dicent, *quam ob exiguã leuitatem perimus! quam melius erat juſſa medicorum pati!* Et ſane *abſurdum eſt*, inquit Plutarchus, *cum crocitationibus coruorum, gallinarum cantillationibus*

nibus ſuumq; furioſis in cœno volutationibus, vt appellat Democritus, ſtudioſe animũ attendamus, ventorum inde & imbrium præſagia ſumentes: motus nos corporum noſtrorum, & jactationes, affectioneſq; morborum antecedentes non obſeruare, non præcauere, neq; indicia futuræ in nobis tempeſtatis percipere animo. Quid prodeſt infirmis, ſi medico imponant, nihilq; magis habeant in votis, vt Galenus loquitur, quam vt coarguant illum, eumque nihil firmi ſcire demonſtrent? voluptas eſt, hominem decipere, ſed non ſecus ac qui ſcabie graui tenetur, cum ſe affatim ſcalpſerit, pejus nempe à pruritu dolet. Morbum quandoque ſimulant, vt medicum deinde diſſutis vndique malis rideant, exiſtimãtem ſuum deceptorē ægrotare, vt olim Demetrius rex patrem fallere cupiens, pro libidine febrem ſimulauit. Sic iſti magis morbis tabidi ſcilicet, ſæpenumero medicum accerſunt, vt fallere poſsint, & vrinas ſubdititias mittendo explorant, quomodo feliciter hariolari poſsit. Anus etiam bidentes aduocant, ſi vere & grauiter ægrotent, vt melius rem cognoſcant, quam medicus, aut quemcunq; agyrtam, confeſſarium etiam de ſecretis rogant, ſi forte apud alios

ægros quodam vſi fuiſſent. Ordinarium interim caute circumueniunt, ne fraudes animadvertat. Quod ſi conualeſcant,pro mercede laboris objurgant, diffamantque ipſum nihil in hac ægritudine intellexiſſe, niſi alios conſuluiſſent,futurum fuiſſe, vt morerentur. Quod ſi moriantur, domeſtici ægrum à medico occiſum fuiſſe clamant, ejulantur, ringuntur. Nonne hic error magnus eſt? nonne dolendus? hic profecto error cauſa fuit, quod millies me rei medicæ pænituerit, & ferme à ſcribendo deterruit, memorem illius ſententiæ quam ita recitauit Galenus: *Multi ſynceriſsimi viri prauitatem,qua hac noſtra ætas detenta eſt, exploratam habentes à turba & frequentia hominum, ceu à valida quadam tempeſtate, & procella, in ſolitudinis ſalutarem portum ſeſe recipiunt. atq; erunt profecto hi multitudini ignoti, ceterum noti & amici primum, & maxime dijs immortalibus, deinde viris quoq; optimis, quin etiam uitam tranquillam agent, ſinentq; verſutos illos eſſe apud vulgus admirationi.*

Vulgi & aſsiſtentium errores, ex quibus ſanitas ægri tardatur, & impeditur, mortéq; ſæpenumero accelerant,varij ſunt, dum plerumque plus ſapere volunt, quam medicus,

&

& contrarium, quam quod imperabatur, faciunt, tempusq; agendi præuertunt. Quando v. g. medicus hac die, vel hora præcipit venæ ſectionem, eam in aliud tempus retardant, propter malum ſignum Calendarij, quod dicunt, aut propter vires imbecillas, vt exiſtimant, aut propter ſciolum quẽdam, qui clamat, interitum à venæ ſectione imminere. Quando medicus jubet applicare cliſma, quod facilius inteſtina eluit, dicunt, hoc medicinæ genus nimis periculoſum eſſe, idque ſolum in extremis tentari, quo tamen nullum poteſt dari commodius, præſertim in nauſeabundis, qui pharmaca difficulter aſſumũt. Si purgans porrigere oporteat, dimidiant, timentes vehementiam pharmaci, ne forte ſuperpurgetur, vt vocant; aut omnino projiciunt, tanquam nocivum, quod ſemper aliquid veneni in medicamentis inſit. Interim tamen cujuſdam loquaculi impulſu ægro aliud medicamenti genus, quod olim jam à ſicophantis, agyrtis, judæis, carnificibus emerant, propinant, quod ſtrenue deglutiat tanquam tutum & innoxium, & quod certo ſanitatem reſtituat. Interea purgatur æger vehementisſime, adeo vt ſi poſſet, etiam anima

diffluceret,

diffluerer, morbus augetur, medicus vocatur, de fraude tacetur. medicus vero vehemētiam pharmaci miratur, quod tamen apud ſe erat benigniſsimum, & dicit, fucum factum fuiſſe infirmo, ſine errore enim commiſſo ægrum non poſſe pejus ægrotare. Tandem ipſe æger inaduertenter vitium fatetur, aut quis alius fraudem detegit, nihil melius habente ægro. Nec eſt error iſto frequentior, dum ferme apud omnes ægros hoc accidit, dū occulte pharmaca à ſeplaſiario, qui quotidie plus medico ſapit, fieri curant, inſcio ordinario. Maximi etiam errores committuntur in cibis & potibus adminiſtrandis: quando nimirum ſingulis pene horis offam prægrandem adferunt, putantes ante cibi coctionem, imo in ipſo inſtanti ſumptionis ægros refici; atque hoc ſæpe juſſu medicorum fit, qui quandoq; populariter non medice agūt. ſed ſi ſcirent, quot horę in debili & ægro homine ad perficiendam offarum, aliorumque ciborum concoctionem requirātur, parcius cibarent, idque tantū horis à medico præſcriptis, qui in acceſsionibus morborū, & febriū paroxiſmis nunquā imperabit cibare, vt vulgo faciunt, dum exiſtimant ventriculo cibis

ſubfercto,

ſubferêto, facilius acceſſionem febris tolerari poſſe, quæ tamen à cibo ingraueſcit. Quandoque cibos quoſcunque concedunt, præcipue in febribus, neſcientes ſtomachum plerumque ſibi placentia deſiderare, non ſanitati conuenientia; credunt tamen ex vario & prauo appetitu ciborum morbum immutari, ſæpe etiam omnino curari. quod quam verum ſit, ipſi viderint. Similiter in potu aberrant. jam frigidam prebẽt, tum decoctam, dein ptiſanam, mox vinum, & ſi quid aliud potus liquidioris inuenire poſsint, concedunt, ſeu medicus juſſerit, ſeu interdixerit; ſeu in principio, aut quocunque alio tempore morbi, ſeu frigeat, ſeu caleat, ſeu ſudet, ſeu ex ſiccetur, illi quam primum cum potu adſunt, modo medicus neſciat quando adventurus eſt. Plura ſunt quæ dicenda forent de multiplici errore populari, verum iſta ſufficiant. Tu autem, mi medice, errores alienos cave, tuos vero ne quidem cõmitte.

De Diæta ægris imperanda,

CAPVT XVIII.

PRoverbium ſatis vulgare eſt: *Os hominis eſt inſtrumentum mortis*, quod os varios cibos

bos potuſque, idque affatim tranſmittat in corpus, qui deinde aut quantitate, aut qualitate corrupti pravos humores creant, humores morbos, morbi denique mortem. deberemus itaque parcere cupediis, & ingluviei, ſi vellemus vitam inſtituere valentem. Ideo pauca de diæta ægro convenienti dicenda ſunt. Diætam, ſeu victus rationem rei medicæ partem eſſe præcipuam, nemo hactenus dubitavit. Hippocrates eam ita commendat: *Victus ratio, quoad ejus fieri poteſt, dignoſcenda eſt: hanc enim non penitus perſpectam habere, calamitatis plena res eſt.* Tum Galenus: *Cum ars ipſa tota ſit magna, non leviſsima eſt ejus pars ſcientia ordinādi victus.* nam præter quam quod medicus nihil boni aget, ſi normam viuendi ægrotorum neſciat, & eam deprauatam non reſtituat, languentem ad minimum, vel pereuntem hominem conſpiciet. Vnde ſi ægri, dum ſani ſunt, parce ſobrieque viuerent, facile in morbis, jam victui mediocri aſſueti, in diæta ſeruanda obedirent, & ſtomachus à nimio cibo nondum laxus, nec ab immodico potu æſtuans cibos illos ſibi valetudinario aptos non reſpueret, atque modica ſufficerent. *Quandiu enim ſa-*

nus & ſalubris cibi capax ſtomachus eſt, impleturq́; non premitur, naturalibus fomentis contentus eſt: vbi quotidianis cruditatibus, non temporis æſtus, ſed ſuos ſentit, vbi ebrietas continua viſceribus inſedit, & præcordiale, in quod vertitur, torret, aliquid neceſſario quæritur, quo æſtus ille frangatur, qui ipſis aquis incaleſcit, remedijs incitat vitium. Itaq; non æſtate tantum, ſed media hyeme niuem hac cauſa bibunt. Quæ hujus rei cauſa, niſi inteſtinum malum, & luxu corrupta præcordia? quibus nullum intervallum vnquam, quo interquieſcerent, datum eſt, ſed prandia cœnis vſq; in lucem productis ingeſta ſunt, & diſtentos copia ferculorum ac varietate comeſſatio altius merſit. deinde nunquam intermiſſa intemperantia, quidquid ante decoxerat, efferauit, & in deſyderium ſemper noui rigoris accendit. itaq; quamvis cœnationē velis ac ſpecularibus muniant, & igne multo doment hyemem, nihilominus ſtomachus ille ſolutus, & æſtu ſuo languidus, quærit aliquid quo erigatur. nam ſicut animo relictos ſtupenteſq; frigida ſpargimus, vt ad ſenſum ſui redeant, ita viſcera iſtorum intus torpentia nihil ſentiunt, niſi frigore illa vehementiori perusſeris. Inde eſt, inquam, quod ne niue contenti ſunt, ſed glaciem, velut certior illi ex ſolido rigor ſit, exquirunt, ac ſæpe

repetitis

repetitis aquis diluunt, non quæ eſt ſummo tollitur, ſed magis habeat, & pertinacius frigus ex abdito cuſtoditur. itaq; ne vnum quidem ejus eſt pretium, ſed habet inſtitores aquam & annonam pro pudore variam. Vnguentarios Lacedæmonij vrbe expulerunt, & propere cedere finibus ſuis juſſerunt, quia oleum diſperderent. quid illi ſi vidiſſent reponendæ niuis officinas & tot jumenta deportandæ aquæ deſeruientia, cujus colorem ſaporemq; paleis, quibus cuſtodiunt, inquinant? At dij boni, quam facile eſt extinguere ſitim ſanam! ſed quid ſentire poſſunt emortuæ fauces, & occallatæ cibis ardentibus? quemadmodum nihil illi ſatis frigidum, ſic nihil calidum eſt. Sed ardentes boletos & raptim indumento ſuo merſatos demittunt pene fumãtes, quos deinde reſtinguunt niualibus potionibus. Videbis quoſdam graciles, & pallio faciliq; circumdatos pallentes & ægros non ſorbẽtes ſolum niuem, ſed etiam eſſe, & fruſta ejus in ſcyphos ſuos dejicere inter ipſam bibendi moram. ſitim iſtam eſſe putas? febris eſt, & quidem eo acrior, quod non tactu venarum, nec in cutem effuſo calore, deprehenditur. ſed cor ipſum excoquit luxuria inuictum malum, & ex molli fluido durum atq; pauens. Sic mecum moratiſsimus Seneca. Contra vero

Accipe nunc, victus tenuis quæ, quantaq; ſecum
Afferat;

Afferat: inprimis valeas bene: nam variæ res
Vt noceant homini, credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis:
Dulcia ſe in bilem vertēt, ſtomachoq; tumultū
Lenta feret pituita. vides, vt pallidus omnis
Cæna deſurgat dubia? quin corpus onuſtum
Heſternis vitijs animum quoq; prægrauat vnà,
Atq; affligit humo diuinæ particulam auræ.

Quid nobis accidet, quibus Vitellianæ patinæ plenæ omnifariam cupediarū non ſufficiunt? quibus cæna non tribus aut quatuor horis, ſed ad diluculum producta nimis breuis eſt? quid ijs, quibus nunquam ceſſant mandibulæ? quibus in ſorbitionibus plus halitus eſt quam vini? quibus ebrietas pernox? quibus abdomen mera vorago eſt, & ventriculus amphora? præmatura mors, citúſque interitus; vel, ſi dij nos caſtigatos velint, corpus diu langueſcens & morbidum, infinitis morbis plectendū. nempe hæc ſunt præmia deliciarum. Quam bene ajebat Socrates, cauendos eſſe cibos, qui non eſuriētes ad edendum alliciunt, & potus, qui faciunt, vt non ſitiens bibas! Ad hanc rem recte Comicus:

—— coquos

—— *coquos equidem nimis*
Demiror, qui tot vtuntur condimentis, eos eo
Condimento non vtier, quod præſtat omnibus;
parcimonia nimirum, & frugalitate, optima enim hæc condimenta ſunt. His olim tyrannus Dionyſius egebat, cænans aliquando negauit ſe jure illo, quod cænæ caput erat delectatum, tum is qui illa coxerat: *minime mirum, condimenta enim deerant. quæ tandem?* inquit ille: *labor in venatu, ſudor, curſus ab Eurota, fames, ſitis, his enim rebus Lacedæmoniorum epulæ condiuntur.* Vnde optime dicitur, quod bono ſtomacho ſatis ſit, obſonium eſſe coctum, etiamſi nihil accedat deliciarum. Ad ea quæ nunc dicenda ſunt pergens pro compendio addo: *Victus moderandus eſt non ex rerum copia, ſed ex vſu ac neceßitate naturæ.*

In diæta ægris imperãda tria obſeruanda ſunt, qualitas, & quantitas cibi, dein tempus cibationis. In vniverſum ægrorũ cibus ſit facilis concoctionis, qui ſtatim in alimentum conuerti poſsit; quanquã Hollerius ex mente Hippocratis, eos aſſerat breuioris eſſe vitę, qui cibis concoctu facilibus, & ob id ſubſtãtiam fluxilem & facile exhalabilem habentibus nutriuntur; cõtra longioris eſſe vitæ, qui

vtun-

vtuntur cibis durioribus, ac denſioribus, vt quorum ſubſtãtia pertinacius hæreat in corpore, neque facile diſsipetur: iſta enim ad ægrorum victus rationem non pertinent, ſed ad communem omnium ſanorum viuendi modum. vt neq; huc ſpectat quod dicit Galenus, quod, qui ſalubrem viuendi rationem ignorant, credibile ſit, eos citius quam pro naturæ ratione interire: hic namque vult monere eos, qui ſibi nullum viuẽdi modum conſtituunt, ſed ad gulam & illecebras reſpiciunt, qualis tandem cibus ſanitati conducat nec ne, vt melius vitæ regimini proſpiciant. quamobrẽ cibus concoctu facilis tum ægris, tum conualeſcentibus eſt accommodatiſsimus. Cibi vero concoctu faciles ſunt, iura carnium tenuiora, & quæ conſumata dicuntur, hordeata, amygdalata, & id genus alia. quæ vero ex ouis cum vino fiunt, vulgo vinata calida vocant, apud me improbantur, tum in acutis, tum in omnibus febribus, bilem namque augent, & tarde nimis coquuntur, quod aciditas illa appetitum quidem ſuſcitet, ſed coctionem moretur. Hordeata facta cum iure carnium nutritiua ſunt, ſed nonnihil lubrica, quæ tamen lubricitas ijs

conuenit, quibus aluus dura eſt, quanquam velint, hordeata, ſi ſine aromatis coquantur, mollitiem in ſtomacho, flatuſque efficere. Sed cum omnia juuantia etiã ſua nocumenta habeant, vtilitas hordeatorum major eſt nocumento; vnde in morbis aridioribus, febribus nempe vehementibus hordeatũ tenuius erit peraccomodum. Amygdalata, quæ cum cremore lactis & aqua roſata fiunt, cupediæ potius ſunt, quam cibi, ideo quando dantur gratificamus potius quã cibamus: non enim video, quomodo iſta ægris concedi poſsint, cum omnes clament, dulcia magis nocere quam juuare. Illud genus offarum quod fit ex pane bis cocto, aut ex micis cruſtarum, quando panis apud piſtores raditur, ægris, præcipue conualeſcentibus, conuenit quidẽ, ſed colatum linteo pertenui, aut ſetaceo: ſi enim aliter detur, nimium nutrit, præſertim in pleuritide, febribus acutis, & alijs hujuſmodi, in quibus victu tenui vti conuenit.

Sunt qui conualeſcentibus poſt paſtum, aut cibum quencunque tenuem, ſuadeant ſumere pruna damaſcena, aut noſtratia, paſſulas item minores, cotonea, aut eorum ſuccos, vt facilius cibi in inteſtina dilabantur, &

excrementa facilius fluant; ac ſi cibi cum hujuſmodi rebus non ſimul coquerentur, & in alimentum abirent; quod ſi in id non abeāt à natura reſpuuntur, crudáque rurſus ejiciuntur. Quare aut prius, aut nunquam ſumantor. cum autem concedendū ſit aliquid conſuetudini, naturæ ægri, tempeſtati anni, & ætati, ſinamus medicum cum judicio, qui cibi conuenientes ſint, ægrotis ſuis pro modulo imperare, memores paulo deteriorem potum & cibum, ſuauiorem tamen, melioribus quidem, ſed inſuauioribus eſſe præferēdum. Præceptum Galeni etiam obſeruandum eſt; dicentis: *Poſt cibum nullum medicamentum, quod ad diſtributionem vehementiorem facit ſumendum eſſe, non enim diſtribui tum, ſed concoqui quæ ſumpta ſunt, eſſe vtilius.* deinde conſilium Valeſci, quod licet ſanis præſcribatur, ægrotis magis erit neceſſarium, dum ita inquit: *Multa & diuerſa cibaria ſumere in eadem menſa duobus modis digeſtionem impediunt; primo propter diuerſitatem eorum in digerendo, quia quod digeſtum eſt, indigeſto admiſcetur. ſecundo, quia plus quilibet poteſt ſumere de eis, maxime quando ſapida, quam ſi ſolum vnum caperetur.* Vulgo quidem mos eſt, ægris varia condita offerre,

ſed ad ſalutem minus, ad oris & palati gratiam multum conferunt; condita enim omnia, inquit Celſus, duabus de cauſis inutilia ſunt; quoniam & plus, propter dulcedinem, aſſumitur, & quod modo pareſt, tamen ægrius concoquitur. Conſuetudinem ego neque laudo, neque corrigo.

Quantum cibi, & quoties ægris adhibendum ſit, nemo hactenus curauit: ſingulis namque horis diu noctuque cum offis, aut alijs obſonijs accurrunt, ægro renuenti intrudũt, minis etiam ſæpe intentatis, niſi patinas vacuent; imo vitæ ſanitatiſque incuriam exprobrant, ſi id quod vires reficit, reſpuant, nempe cibos. Clamant item, ægros in tenui victu delinquere, & ex præceptis medicorũ peccari magis, quam paulo pleniore victu. Verum obſeruaui ego, noſtrates ex frequenti ciborum exhibitione difficilius tardiuſq; curari, tum ſæpiſsime recidiuas pati; quod Auicenna confirmat his verbis: *Vt veniat recidiuatio errore regiminis ſaluius eſt, quam vt eveniat per ſe cum rectificatione regiminis. & de errore in hoc eſt, dare in potu calefacientia, & medicinas, quibus vult aliquis bonitatem appetitus, ſicut Geleniabim mellinum, & trochiſci roſacei, &*

 ſimilia.

ſimilia. Ac ſi diceret: recidiua vt plurimum oritur ex mala victus ratione, & potiſsimum quando volunt appetitum reſtituere cum rebus calidis, & varijs conditis, exiſtimantes ventriculum languidum ab his rebus refici. ſed magis magiſq; grauatur, cum prima coctio non corrigatur in ſecunda. Vnde obſtructiones, & ſubfarctus ingens inteſtinorum, meſenterij, partiumque aliarum circũjacentium. hinc quandoq; graues diarrhææ, leuitates, aliaq; mala plurima oriuntur. Moderate itaq;, & rarius cibandi ſunt ægri, non ſingulis pene momentis, vt apud nos fit, cum ad coctionem abſoluẽdam tempus ſufficiens requiratur, antequam rurſus cibi ingerantur. vt enim lebes re quapiam injecta bulliens à bullitione impeditur, ita ſtomachus in coquendo cibo alio ingeſto tardatur, ne perfectam coctionem abſoluat.

Quando, & quo tempore opportune cibandi ſint ægri nos docet Hippocrates in aphoriſmis ita ſcribens: *In vigore morborum vel omnino abſtinere conuenit, vel tenuiſsimã viuendi ratione obſeruare, animo tamen in id ſemper intento, quid valeant ægyotantis vires, & an ſubſiſtant eo victo integra vſq; ad vigorem morbi,*

vel an ille deficiat prius, remittatq́ de ſua vehementia. appetente igitur vigore cibos parciore manu miniſtrabis: ſin minus, tantum de illis ſubtrahes, quanto propius aderit vigor, longiuſve receſſerit: ita vt conſtantes durare queant ægrotantis vires. Eademq́ ipſa de cauſa in acceßionibus, & per circuitus recurrentibus paroxiſmis, & in criſibus morborum alimenta, quia nocent, minime offeres ſollicitatis coactiſve laborantibus, ſed ea pro ratione vel ſubduces, vel etiam in totum aliquando auferes. quippe in illis abſtinere bonum, nutrire autem injuria eſt. His regulis vniuerſalibus aliam adnectit Galenus, libro de arte curatiua ad Glauconem ita inquiens: *In omni febre ſtatim ab initio ad vniuerſum ægritudinis tempus inſpicientes rationem victus inſtituemus, nam quæ velo iter fiunt, ac celeriter creſcunt, etſi valde tenuem victum exhibueris, haud magnum afferes detrimentum: quæ vero ſunt diuturniores, niſi ab initio grandiori cibo reficias, hominem cum morbo pariter perimes, aut intempeſtiue victus modum commutabis. neq́ enim oportet ſtatu progrediente grandiorem quam prius offerre, ſed contra potius tenuiorem victum, qui in toto morbo exhibeatur, ad ſtatum reſeruare.* Ego in febribus ita agi debere exiſtimo, vt duabus horis ad

minimum ante paroxiſmum nihil comedatur, neq; bibatur: experientia quippe conſtat, ſtatim à potu & cibo adveniſſe febris impetũ cum ſumma moleſtia, imo cum difficili vomitu, ex quo facile oritur ſyncope aut cardialgia, quæ maximum deinde negotium & ægro, & medico faceſsit. Increſcente poſt paroxiſmo nihil cibi detur, ante octo vel duodecim horas, vel amplius, vſque dum febris deferbuerit, tunc tuto licebit cibare ægrumque reficere, atque nonnihil à malo liberare. quod ſi ante dederis, rebellabit ſane malum, febriſque incipiet referuere. Atque hoc eſt vnicum ſecretum, quo poſsis tutius, citius, faciliuſve à febre liberari.

Quantum ad ægrorum potus, multifariam fiunt, vt vnicuique notum eſt, vt ſunt priſana, ſeu aqua hordei, aqua ſimplex cum aniſo, fœniculo, aut coriandro; limonata, decoctum prunorum cum paſſulis; Iulepi cum ſpiritu vitrioli, aut cum acetoſitate citri, aut alij modi infiniti; emulſiones etiam variæ cõficiuntur, & hoc ſolum in illum finem, vt ægri ſibi ab aqua cruda & vino temperent. Quæ duo peſtem febricitantium vulgo credunt, adeo vt perduelles rei medicæ videãtur, qui ægris

aut

aut aquam crudam,aut vinum ſyncerũ propinant. Tu vero, mi medice, hactenus ſis audacior, aquamq; in Ictero, Tertiana exquiſita, febre ephemera, Cauſonide, phlemonode, propinare aude. In febribus longioribus, erraticis, tertiana intermittente, quartana ſimplici, lienis obſtructionibus, cachexia, aliiſque morbis recurrentibus, extra vigorem morbi tuto vinum dabitur, etiam non lymphatum. quanquam Plinius affirmet, tardum dictu eſſe, vinum pluribus proſit, an noceat; præterea quam ancipiti euentu potu ſtatim auxilium fiat, aut venenum. Nihilominus, vt in cibo aſſuetis aliquid concedimus, quod alias concedẽdum non eſſet, ſic in potu etiam aliquid conſuetudini concedendum eſt. imo plus damni afferimus, ſi vino aſſuetos ſtatim reddamus abſtemios. Medicus itaque, rebus bene penſitatis judicabit, quando vinum aut aqua propinari poſſit. Dices forte, me germanizare, quod vinum ægris concedi velim: verum dico ego, opus eſſe, vt experentia teſtabitur, ut mecum & Galli, Hiſpani, Italique in hac re germanizent, ne ægri in ſuis decoctis nauſeabundis, diuturniſque, quibus mor-

bus ejuſque humores redduntur concoctu difficiliores, putreſcant, cum vinum, in caſibus prædictis citius coquatur, citiuſque penetret, quam aliæ potiones guſtu & olfactu horribiles. Neque velim credas, mi medice, vinum concedi debere, ſed poſſe abſque vllo periculo, vt ſcrupulum tibi in vino dando eximas, & tu ſanus egregie, ægrotus vero moderate bibat.

De pueris viſendis,

CAP. XIX.

POſtquam omnia dixi, quæ juniori medico ſcitu neceſſaria videbantur in viſendis ægris, nunc ad individua venimus, & primo ad pueros, dein ad ætates grandiores, tum ad utrumque ſexum, vt & hoc non omittatur, ne junior practicus jejunus omnino à me diſcedat. Viſuro pueros nuper natos pauca obſervanda, pauciora agenda ſunt: morbi enim, ſeu affectus in infantibus ſatis ſe produnt, præcipue ij, quos ipſis perquam familiares eſſe ait Hippocrates, quales ſunt, *ſerpentia oris vlcera, vomitiones, tuſſes, vigiliæ, pavores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.* cum vero denteſcunt, *gingiva-*

rum pruritus, febres, convulſiones, alui proflu-via, maxime cum caninos edunt dentes, in pueris potiſsimum grãdioribus, & aluo duris Quare in his non opus erit vlla interrogatione, cum exterius ſatis pateant, tactuique & viſui obuia ſint. vtrum autem puerulos curandos ſuſcipere liceat, prudentiores, eoſque authores, qui de morbis puerorum ſcripſere, conſulito: equidem hac in re nullus videar, cum jam apud quoſdam nihil inauſum ſit, fruſtra regnante veterum cautela. Exiſtimaverim tamen, hoſce nutricibus, obſtetricibuſque relinquendos eſſe, cum medicamentis quantumvis levioribus, ſint impares, & plures eorum affectus per ſeſe judicentur, vt eſt in aphoriſmo 28, ſectionis 3 *Pueris plurimi morbi judicantur, alij intra dies quadraginta, nonnulli intra ſeptem menſes, quidam intra annos ſeptem, alij ipſis ad pubertatem accedentibus. qui vero pueris permanſerint, neque circa pubertatem ſoluti fuerint, aut feminis cum menſtrua erumpunt, inveteraſcere conſueverunt.* Ceteris vero grandioribus tuto mederi licebit, tum ob vires ampliores, tum ob virtutem concoquendi pharmaca majorem. Siquos ergo ſuſceperis curandos, recte vt in adultis proceſſe-

ris, modo ætatem & vires expēderis. Grandioribus hæc ferme accidunt: *aſthmata, calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucæ penſiles, Satyriaſmi, ſtrumæ, & alia tubercula.* pubeſcentibus, *plurimi ex his, & febres diuturnæ, & ex naribus ſanguinis fluxiones.* Atque hi affectus curatu faciles ſunt, cum in his natura nihil aliud moliatur, quam vim illam congeſti putridi humoris, quo pueri, ob ætatem humidiorem ſubfertiuntur, per vias ignobiliores ſedulo expellere. Vnde non mirum videatur, ſi febres ſuboriantur, cum corpus vndique hujuſmodi ſupervacaneis obſtruatur, quæ deinceps cum febre exportantur. adde, quod vulgo velint febres pueris ſalubres eſſe, ſic vires accipiente natura, quo poſthac corpus à ſuperuacuis purgatum nutriatur & augeſcat, atque ad operationes naturales perficiatur.

Quam vellem, jocunde lector, vt juuenes ſtatim ab ipſis vitæ primordijs ſibi ab illecebris temperarent, in adulta ſane ætate & corpore & animo valerent; boni enim mores cum bona natura creſcerent, adolerentque, vt Galenus in libris tuendæ ſanitatis nos docet inquiens; *Si quis arti ſanitatis tuendæ tradi-*

tur educandus, fortunatus vtiq; ſit, ſi ſtatim editus in lucem ei committatur. ita namq; ad animi quoq; affectus nonnihil lucriſaciet, ipſa nimirum recta victus ratione mores quoq; probos reddente. Tum: *multi in malis moribus à pueris educati in deſidia & intemperantia viuentes bonitatem naturæ corrũpunt: ſic contra nonnulli vitioſam corporis naturam ſortiti, temperantia vitæ & appoſitis exercitijs naturæ vitia mutarunt in melius.* Quod ſi dicere auderem, quantum quidem ad mores, à parentibus ſane & domeſticis diſcunt. dum multa illis coram, quanquam infantibus, agunt faciuntque, quorum poſtea filij memores ſunt, eaque imitantur. Vnde Iuvenalis:

Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Turpe paras, nec tu pueri contempſeris annos,
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

Quantum vero ad intemperantiã, quid aliud adoleſcentes à domeſticis, à parentibus, ab auijs, ab ancillis, qui à cupedijs, à calice vacuando, nec die nec nocte laſſantur, quid, inquam, aliud, quam quod vident, & amant, diſcere poſſunt? de his recte dicitur:

Heſterno fætere mero qui credit Acerram,
Fallitur, in lucem ſemper Acerra bibit.

Dediſcant vero pueri mores prauos, & talia vitæ moderamenta ineant, temperantiæque ita aſſueſcant, vt nec adoleſcentes, nec viri, & nec ſenes medico vtantur.

De Puellis,
CAPVT XX.

OPeroſior quam puerorũ hæc moles eſt, nam quemadmodum in artefactis ſubjecta leuiora minus operi tractando, ob imbecillitatem, accommoda ſunt, ita in puellis curatio quævis apta non eſt, ob ſubjectum debilius, cui mollities etiam grauis videtur. Ingenioſa res eſt, poſſe ipſa mollitie agere mollius. Quare diſcrete, vt ajunt, cum puellis, præcipue vero ingenuis, tum honoris proprij, ne ruſticum ſapias, tum reſpectus gratia, ne virginibus illudere videare, agendum eſt. Pauca itaque interrogabis, cum ab ijs, præter pudorem, quaſi nihil extorſeris; præſertim vero, ſi, vt moris eſt apud omnes, quidquam de menſtruis, de ſuffocatione matricis, & ſimilibus rogaueris: hæc enim aut tacenda ſunt, aut multis ambagibus perquirenda. Tutiſsimum erit apud ejuſmodi delicatulas ſigna externa obſeruaiſſe, vrinas

ſcilicet, ſed non coram ipſis, vultus aut pallorem, aut ruborem, pulſus naturam, aliaq; hujuſmodi, quibus ad affectum cognoſcendum gradatim itur. Tum nutriculas, aliasq; circum avias, famulaſque rogare ea oportebit, quæ corá cogitare etiam piaculum, ſummumque nefas fuiſſet. Quod apud Veſtales & ſacras feminas velim obſerues: decet enim atque laudabile eſt, eas honeſtiſsime conuenire, vt quibus etiam propria imbecillitas offendiculo eſt, atq; pudori. Namq; hinc non minus profani arcentur, ac olim cum Bonæ deæ libabant, viros longius abeſſe oportebat. *Teſticulis* etiam *ſibi conſcius inde fugit mus.* atq; eo facilius ab inconceſsis quæſtionibus abſtinueris, ſi animadverteris, vix vllum in muliebri ſexu, vt quidem cum Hippocrate exiſtimo, morbum aut affectum dari, quin ab vtero, aut propagetur, aut nutriatur. Si dolor capitis, vel vertigo oriatur, ſtatim de purgationibus compreſsis cogita: ſi inappetentia, aut nauſea, aut malacia ſentiatur, ab vtero itidem fieri exiſtima, cum ventriculo, vbi frequentius dolent, interior ſubſternatur. Si debilitas totius corporis, gonorrhæam (fluxum album vocant) aut profluvium nimium

venarum vteri hanc efficere ſuſpicator. Quæ cum ita ſint, facile inquam, interrogatiuncu-læ apud virgines omitti poterunt, vt puellis ingenuis conſulatur. Verum non omnes Ce-reris vittas cõtingere dignæ; ſed plures ſunt, quæ dolos callide ſtruunt, imponentes me-dicis, dum ſuppreſſa menſtrua, aluum|æquo duriorem, ſe vero exoneratu difficiles ſimu-lant, vt ſic|medicus vim medicamẽtis majo-rem addat, aut quantitate aut qualitate mate-riæ, quo facilius non quidem alui, ſed vteri onus abortu leuent, vt rurſus rigidę tentigine vuluæ paludes inundent, cunctis, niſi ſibi, ignoto abortiendi ſcelere. Tum pectoris an-guſtias, reſpirandi vim imminutam, cordis crebriores ictus obtendunt; cum tamen inſit vitale pondus, tuber ſinus, & lactis impatien-tia vbera. quod ſi tantæ fraudis ignaræ ſint, aliam viam tentant, atque id, quod aliæ vitæ periculo ſubeunt, cautius, mercede copioſa promiſſa, experiuntur. Abnuente medico, medicamentarius aditur, qui ita ſcite abortũ partumque adjuuat, vt ſtatim à partu ambu-lent grauidæ, quo minus ſcelus ſentiatur. ſic ad hominis exitium omnes promptiſsimi, artiſque nefariæ gnauiſsimi, at in vitam ejuſ-

dem

dem imperitiſsimi. Hoc ſane ab Hippocrate non docemur, qui jurejurando, ſe perpetuo ab hoc ſcelere immunem futurum cõfirmavit. Quapropter ſecreta illa corrũpendi genituram, abortum efficiendi, ſecreta ſint, id eſt, medici, aut quivis alius nihil omnino aut ſcribendo, aut docendo de huiuſmodi medicamentis loquantur, ſed à vulgi ingenio & memoria eximant, vt huic ſceleri immaniſſimo caueatur.

Interim optandum eſſet, vt juniores medici ita fortunati eſſent in cognoſcendis virginibus, vt Albertus: ferũt enim eum ex Muſæo ſuo puellam ex ænopolio vinũ pro hero afferentem, in itinere vitiatam fuiſſe, deprehendiſſe, quod in reditu ſubinde cantillans mutatam haberet vocem ex acuta in grauẽ. quo etiam ſigno forſitan vſus fuit Democritus, qui Hippocratis puellam prima die vt virginem, ſecunda vt feminã ſalutauit: multa vitia impedirentur, & multi medici non ita facile à vetulis corrumperentur, queſtum puellarum facientibus, vt olim egregie Elpinicen luſit Pericles; pro Cimone enim fratre apud ſe deprecanti reſpondit: *Vetula jam es, ô Elpinice, & provectiori ætate, quam vt hujuſmo-*

di

di res conficere poſſis. nempe in florida ætate, decenti pulchritudine, meritriciaque arte potuiſſet judicem corrumpere; nunc vero oſtendit Elpinice, Senecam in Tragædijs optime loqui:

Anceps forma bonum mortalibus,
Exigui donum breue temporis,
Vt velox celeri pede laberis!
Non ſic prata nouo vere decentia
Æſtatis calidæ diſpoliat vapor:
Sæuit ſolſtitio cum medius dies,
Et noctem breuibus precipitat rotis,
Langueſcunt folio lilia pallido,
Et gratæ capiti deficiunt roſæ:
Vt fulgor teneris qui radiat genis
Momento rapitur: nullaq; non dies
Formoſi ſpolium corporis abſtulit.

Hinc patet, à tam fluxili bono nos non ita decipiendos eſſe, vt caſtitatis, decentiæque omnino obliuiſcamur. mirum eſt, mi medice, ſi amaſius recte ſapit, vt nos docet proverbium: Amare & ſapere, ſoli deo conceditur. maxime vero inſanit, ſeu juvenis, ſeu puella fuerit, qui amore erotico tenetur: hic enim ita excruciat, & corpus exedit, vt præter cutem pendenteſque genas nihil amplius reperias.

Seneca rectiſsime odium & amorem inſanũ comparat dicens: *Animus eorum, qui aliquid incommodi precari ſolent, vt benefacere poßint, ſimilimus eſt prauo amore flagrantibus, qui amicæ optant exilium, vt deſertam fugientemq; comitentur. optant inopiam, vt magis deſideranti donent. optant morbum, vt aßideant. & quidquid inimicus optaret, amantes fouent. Fere idem itaq; exitus eſt odij & amoris inſani.* Vbi vero hæc inſania, & tam ferox hoſtis domeſticus latitet, nemo mihi adhuc ſatis explicauit. Quod Ioannes Langius in Epiſtola de amore erotico doctiſsime ſcripſit, approbo, ſed non omnino ſatisfacit. Dicit quidem cum Platone & Lactantio, ſedem concupiſcentiæ in hepate eſſe, & hinc illas amoris imaginationes, & tot amaſiæ deſideria excitari; ſed fomitem, ſeu flammas has ardentiſsimas non extinguibiles non recitat. Quam multi ſunt, qui ſuis amaſijs nunquam potiti ſunt, nec ſciunt quod amētur, nec ſpes eſt amicæ potiundæ, cur ergo ob nimiũ amorem contabeſcimus? quid in nobis hunc excitat? quid fouet? abſentis memoria? at cur excitaret amorem, id, quo gaudere impoſsibile eſt? amaſiæ recordatio, aut quaſi præſentis imaginatio? at ima-

gines

gines iſtæ obſcuræ ſunt, quia ideæ cerebri facile diſperguntur, cur amorem fouerent? Dices, concupiſcentia hoc efficit. et dico ego: concupiſcentia indifferens eſt, hic vero in vno ſubjecto hæret, etiamſi deformi, vetulo, ingrato, etiamſi inſperato, & alijs hujuſmodi. Recte dixerimus vterque, cauſam hujus amoris eſſe inſaniam. tum de hac re cum Ariſtippo jocemur, qui Laidi apud ſe vituperanti, quod non amaret, reſpondit: *à vino quoque & piſce non puto amari me, tamen vtroq; libenter veſcor.*

Curam vero morbi hujus nec virgines, nec adoleſcentes facile admittunt, ſecũdum Propertium:

Omnes humanos ſanat medicina dolores,
Solus amor morbi non amat artificem.

certiſsima autem, ſi qua detur, cura eſt admonitio ad honeſta, objurgationes, minæ parentum, amicorum dehortamenta: alias, quantum ad res medicas, parum aut nihil proficiemus, quemadmodum olim apud Mileſias virgines, vt refert Plutarchus, quæ non aliter quam nuditatis intentamento ab imaginatione reſipuere. *Mileſias virgines*, inquit ille, *quodam tempore atrox animi & abſur-*

da inceßit perturbatio, qua de cauſa incertum: niſi quod putabatur aëris temperies veneno infecta, & ad inſaniam excitandam parata, mutationem iſtam animorum atq; abalienationē effeciſſe. Subito omnes mortis cupiditas, & ad vitam ſuſpendio finiendam furioſus impetus egit. & multæ clā conſecutæ ſunt quod volebant. verba & lachrymæ parentum, amicorumq; alloquia nihil agebant, ſed ſeſe interficiendi omnem ipſas cuſtodientium induſtriam atq; calliditatem vincebant. Ita vt calamitas diuinitus immiſſa & remedijs humanis videretur validior. donec quidam homo prudens legem promulgauit, quæ juberet omnes, quæ ſibi ſuſpendio mortem conſciuiſſent, nudas per forum efferri. hæc lex ſancita non inhibuit modo, ſed & omnino aboleuit illam, qua virgines laborabant, mortis cupiditatem. Hæc jocunde lector, quāquam ad rem medicam ſpectare non videantur, ideo retuli, vt curioſitati nonnihil ſatiſfacerem. Interea vt virgines inviſis, ita virgines relinque.

De Viris,
CAPVT XXI.

VIrorum curatio medicinæ peritis omnium ſecuriſsima ſuſcipitur. eos enim

& interrogare vltro quæcunque volueris; atque etiam attrectare licet, cum ipſimet ſeſe ad reſpondendum paratos exhibeant, parteſque exprobrent tactu explorandas. vbi vero hæc commoda accidunt, curatio ſane feliciſsima ſperanda eſt, latente ferme in his medendi ſecreto, vt ægri ſeſe ad omnia bene habeant, provt in aphoriſmo 32, lectionis 2, exponitur: *In quovis morbo valere ratione, recteq; ſe habere ad ea quæ offeruntur, bonum: contrarium vero malum.* Non tamen exiſtimes, ideo viros, ab exitio eſſe immunes, eo quod facile tractentur, ſiquidem etiam ſumma medici diligentia quandoque emoriuntur: nauis enim vi ventorum rapta etiam cum optimo nauta ſcopulis illiditur. Sic inquam, medicus etiamſi morbo certiſsimis artis præceptis caueat, ab infortunio tamē, & vi ægritudinis luditur. Vnde intelligas velim, curationem, non reſpectu valetudinis, quaſi minor viris accidat, quam alijs, ſed ægrotantis & circumſtantiarum, quæ felicem euentum promittunt, facilem reddi, cum morbi in viris progignātur acerbiſsimi velociſsimique; imo vix quoddā morbi genus datur, cui hæc ætas adulta (hanc per viros intelligo) non identidem

identidem ſubjiciatur. Hippocrates hæc frequentiora enumerat: *Aſthmata, pleuritides, peripneumoniæ, lethargi, phrenitides, ardentes febres, diuturna alui profluvia, cholera, dyſenteriæ, lienteriæ, hæmorrhoides.* Ratio vero in promptu eſt, quod viris calor ſit ingens, humores, præſertim ſanguis & bilis, exuberent, ipſi autem intemperantes, cibos quoslibet nullo ſelectu vorent, tum varijs illecebris voluptatibuſque diſſoluantur, ex quibus vis imm[illegible] putridi humoris congeritur, præſertim ex voluptatibus, quæ non modo corporis, ſed & mentis inſanabiles exſuſcitant morbos, vt præclare Cicero ex Archyta Tarentino in Catone ſuo majore teſtatur. *Nulla*, inquit, *capitalior peſtis, quam corporis voluptas hominibus à natura data eſt: hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarum everſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſcuntur: nullum denique ſcelus, nullum magnum facinus eſt, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impellat. ſtupra vero & adulteria, & omne flagitium, nullis alijs illecebris excitantur, niſi voluptate. Et menti nihil eſt tam inimicum, quam voluptas, nec libidine dominante temperantiæ locus eſt omnino, nec in voluptatis regno poteſt virtus conſiſtere. quo-*

circa

circa nihil tàm deteſtabile, tamq́ peſtiferum, quã voluptas, ſiquidem cum major eſt & longior omne animi lumen extinguit. Addo ego, intemperantia parit ebrietatem, ebrietas libidinem, libido raro felicem prolem. Quare Plato coniugatos bene admonet, ita loquens: *Maxime connubio coniuncti ſponſus & ſponſa tunc mentis compotes eſſe debent, quando non paruam vitæ mutationem ineunt, præſertim, vt ex quam maxime moderatis ſemper generatio fiat. ferme enim incertũ eſt, quæ nox aut dies cum deo ipſam peragat. Quare, vt ſolidus, ſtabilis, & quietus conceptus fiat, non oportet corporibus ebrietate diffuſis dare operam liberis. qui autem vino refertus eſt, tam animæ quam corporis rabie concitatus, quouis & trahit, & trahitur. idcirco ebrius tanquam mente captus ad ſerendum eſt inutilis. nempe veriſimile eſt, eum fatus inæquales, inſtabiles, obliquos tam membris, quam moribus procreare.* Hæc tamen pauci mortalium cogitant, pauci nobiles curant, quomodo viuant. Surgant morbi, pullulent quantum velint, affligatur corpus infinitis malis, ſæuiat arthritis, lacerent tormina, viuendũ tamẽ opipare, genius non eſt ob hæc defraudandus. minuamur ſenio, modo illecebras augeamus: quid alias

turba

turba medicorum, farragines medicamentorum prodeſſent, niſi ijs vteremur? ideo namque hæc in dies ſuccreſcit ſeges, quod noſtris malis viuant, marſupia impleant, & nobis exhauſtis principum gazis ſuas adæquent. Belle quidem hæc inter conuiuia, atq; dum mala abſunt, egregie dicuntur; verum cum decumbunt, ſero vitam paluſtrem tranſactam deteſtantur: tum nempe non pergræcatos ſe vellent cum exæſtuant, non dies noctesque inter ſcyphos exegiſſe, cum intus areſcunt, humidum omne depopulante vino. Tum, inquã, medicum accerſunt, vt cliſmate, aut alio medicamento cito morbum tollat. quod ſi vno alterove die ſuſtentet, jam deſperant, doloribus excarnificantur, medicum ignorantiæ, ignauiæque accuſant, ſæpe etiam conuitio coram proſcindunt, quod non ad nutum illud quod intus peccat, quã primum, & ſine longo cruciatu auerruncetur. Sed memineris, quiſquis ita occlamas, aditum ad interiora præcludi, præcordiaq; carere foribus, quibus inquinamenta exportentur, neque ita facile ac injecta ſunt, ſupervacanea efferri: confertim aſſumi nocentia, paulatim educi. Vt enim lebes, cum quid te-

nacius

nacius incoctum eſt, difficulter, ac non niſi aqua impleta biduo aut triduo maceretur, ab adhærente materia detergetur: ita corpus humanum multis difficilimiſq; intus materijs tenacius infercitur, quæ niſi varijs modis præparentur, nunquam diſſoluendæ, exportandæque ſunt. tanta colluuies, tam craſſa lentaque effecta eſt, vt ne quidem acrioribus medicamentis cedat, tu tamen leui clyſtere, aut binis terniſve pilulis educi exiſtimas? primo talis reddenda eſt, vt ejici poſsit, cum cruda, & non concocta non expurgentur. Quare, mi medice, etiam atq; etiam caueas, ne in medendo nimis properes, quantumvis æger vrgeat, morbum potius ali, quam curari clamet, memor, abſque methodo & ratione nihil fieri, ſolumq; toties iteratatis potionibus humores nondum mobiles irritari, niſi etiam invitis dijs ægri vitam tuamq; famam in diſcrimen adducere velis: quippe melius eſt, æger longo poſt tempore viuat, quam cito emoriatur. neq; ſæuitiem ægrotantium reformides, cum parum interſit viro forti conſtantique an ganniant vel latrent. ſi curari nolint, ſi obedientiam detrectent, diſcedas, illi vero pereant, diſpereant, vt ſic

quoque

quoque ſæuitia ceſſet. Vt olim in Maximino imperatore, qui inciderat in vlcus in inguinibus innatum virilia exederat. marceſcente tota illa corporis parte vermes pullularunt, ex quo mortuus eſt, cum medici deſparaſſēt, nec quid noui tentare auderent, ob ſæuitiam ægrotantis. Xerxem vnum è Perſarum regibus potentiſsimum ab Hippocrate etiam maximis præmijs allecto contemptum ſcimus, quid ni & ſæuitiam contemnamus, ſi donis non vincamur? At circa viros tractabiles hoc obſerues, vt ſemper paratiſsimus accedas: multi enim viri docti, populares etiam, cauſam & eſſentiam morbi ſcire volunt. Tu itaq; erudite rem exponas, vt ingenioſus ſimul & peritus medicus eſſe videare.

De Mulieribus,

CAPVT XXII.

TAnta eſt hac tempeſtate circa mulieres curandi varietas ambiguitaſque, vt pene neſciam, qua de re potiſsimum ſis commonefaciendus: quilibet enim nouam peculiaremque mulierum tractandarum normam & rationem comminiſcitur, quaſi veterum medicorum, ipſiuſque Hippocratis monita antiquatæ tantum, abſurdæque ſententiæ

eſſent. ſiquidem jam vix amplius placita illa vulgaria ſeruantur, quibus purgatio in mulieribus ante quartum, poſtq; ſeptimum mēſem interdicitur: quocunque tempore, ſeu tertio aut quarto, ſeptimo aut octauo, ſeu materia turgeat, aut non, affatim purgantur. Tum venæ ſectio leuiſsima de cauſa inſtituitur, atque ſolum vt infans gracileſcat, ſubducto paulatim alimento, quo minus matres, dum fætum vtero ferunt, atq; cum mox ejectura ſunt, pondere grauentur. Quæ, quam recte adminiſtrentur, ipſi hæc agentes viderint. Quod ſi mecum tanquam antiquario ſtolide deſipere, atque Hippocratem ſequi malueris, caute ſane ab hoc modo medendi abſtinueris, eamque rationem inieris, quæ optimis medicis ſemper tutiſsima viſa eſt.

Siquam ergo mulierem viſeris, nihil temere aut inconſiderate agas, ſed prius morbum & ejus accidentia dignoſcas, vt recte pharmaca præſcribere poſsis. Si enim incerto agas, euentum incertum exſpectes neceſſe eſt, quique in pejus quam in melius vertatur, niſi natura prudentior periculo immineat. Mulierum morbos apud Hippocratem, Varandæum, Rodericum à Caſtro, Mercurialem, Danielem, Sennertum, alioſque con-

diſces, vt impræſentiarũ non opus ſit de his quidquam eloqui, niſi monuero, in mulieribus perpetuo partem morbi eſſe vterũ: hoc enim eſt illud monſtrum horrẽdum, ingens, quod toties negotium faceſsit, vt recte malorum omnium voraginẽ appellaueris. Iam friget, tum calet, dein prurit, mox vlceratur, exin flacceſcit, poſt conuellitur, nunc explicatur, rurſus arctatur, nec tamen ſic ſuimet potens, ſed aut procidit, aut introrſum protenditur. & poſtquam diu intra ſe ſæuijt, aromatis placatur, fœtore mulcetur, vario ſuffitu recreatur. Nec vero quieſcit, ſi non ſtatuto tempore eluatur, purgeturq;, mox à ſanguine inundãte domicilio mergendus. Quare viæ quamprimum laxandæ ſunt, vt humore redundanti leuetur. Vnde intelligis, ferme in quibuſcũq; præſcriptionibus iſtius rationem eſſe habendam: vt ſi facile ſuffocetur (malum mulieribus familiare) à dulcibus, à quibus velut in rabiem agitur, abſtineas, ne morbus, qui alias ſpernendus erat, ab hac cauſa fiat deterrimus. Obſerues item hoc caſu pro remedio ligaturã inſtitui, idq; vtiliter, modo ſub coſtis ſpurijs, non vero ſupra ſeptum transverſum faſcia innectatur,

vt inepte ſolent populares, ſic enim plus nocerect quam juuaret, cum ita reſpiratio magis ac magis impediatur, imminuto coarctatoq; pectoris motu. Præterea ſeſsioné decubitu eſſe potiorem, quod niti ſurſum non ita poſſit, quemadmodum in decubitu. manus etiã vtraſque vi aperiendas, ne forti compreſsione arteriarum motus coarctetur. Hic affectus ſatis eſt periculoſus, cum derepente invadat, atque ita momento reſpirationis meatus occupet, vt vel ſemihoræ curriculo mulieres jam extinctæ reperiantur. Opportuniſsimum remediũ eſt Matricaria cum Aſa fœtida, ſi naſo ſupponatur, vt olfaciant. etiam aſam collo vtiliter ſuſpendunt, quod ſic repentinum acceſſum vitent. Ceterum ipſę mulieres multa in hanc rem norunt; verum in hoc allucinantur, quod credant matricem tunc vſq; ad laringem ferri: plurima enim repagula interjacẽt, quibus ab euagatione arcetur. vnde cum quidquam ſibi in faucibus impactum ſentiũt, ventriculum cum æſophago ab vtero impelli credendũ eſt, non vero ipſũ vterum illuc vſq; protendi. A leuiſsima cauſa ſuffocationem oriri teſtatur Lucretius:

——— *recens extinctum lumen, vbi acri*

Nidore

Nidore offendunt nares, conſopit ibidem,
Caſtoreoq; graui mulier ſopita recumbit,
Et manibus nitidum teneris opus effluit eji,
Tempore eo, ſi odorata'ſt, quo menſtrua ſoluit.

Quando ſiſtuntur menſtrua in mulieribus, nec tempore ordinario fluunt, difficulter & raro eduxeris, niſi circa ipſum conſuetum tempus medicamenta adhibueris, vt neque quando primũ à morbo convaleſcunt. Plurimi ignari medici putant, naturam ſtatim ad ordinem ſuum redire; rediret quidem, ſed nihil adhuc adeſt materiæ, nihil enim per hæc loca naturaliter ejicitur, quam quod eſt ſuperfluum. Mirum eſt, mulieres menſtruatas ſpecula maculare, vina & aceta corrumpere, ſata & ſegetes, ipſa etiam hortenſia areſcere, cum tamen Sotira obſtetrix tertianis, quartaniſq; efficaciſsimũ dixerit menſtruo plantas ægri ſubterlini, multoq; efficacius ab ipſa muliere, & ignoráti. ſic & comitiales excitari. Iceridas medicus quartanas coitu finiri, incipiétibus duntaxat menſtruis ſpopõdit. De mẽſtruis plurima apud authores reperies. Hanc ſolam quæſtionem addo, vtrũ in ſuppreſsis mẽſtruis poſsit mola abſq; viri cõgreſſu generari? Variæ ſunt ſententiæ,

potior autem videtur Galeni, decimo quarto de vſu partium dicentis: *Mulierem nemo vnquam vidit ſine viro molam, vel ejuſmodi quippiam concepiſſe.*

Magnum opus ſupereſt, nempe tractare grauidas. Parui momenti labor eſſet, ſi præceptis medicinæ inſiſteremus, vt ſuperius memini. Tu, mi medice, facies quidquid voles, ego tamen prudentiorum ſententiã atq; obſeruationes ſequor. antequam autem aliquid dicam, moneo te, ne vrinis grauidarũ, vt inde conceptum diuines, vſquequaque credas: experiere poſthac hæc vrinarũ ſigna vana eſſe, quemadmodum Mercurialis olim ſcripſit: *Non ſum ejus ſententiæ, quod ex ſolis vrinis valeat medicus certior fieri, num mulier vterũ gerat, an non; quoniam ex ijs ſignis, quæ nos Hippocrates multis locis docuit, pro cognoſcendis prægnantibus, nullum habemus, quod certam nobis fidem facere queat.* Nunc itaque dico: grauidæ non ſine manifeſtã cauſa, nempe materia abundante, ſunt purgandæ, cum ſæpiſsime materia redundante per ſe feliciter leuentur abſque vllo medicamento, vel leuiſsimo. putant quidem, grauidæ mulieres ſi purgentur, partum tenerum, formoſum tamen & elega

elegantem edi: quod materia pauca virtuti formatici facilius obſequitur: cauſam tamē non video, cur à purgatione partus fiat elegãtior, cum neq; à purgatione aliquid participet, minus ab ea tener fiat, abſumeret enim ſubſtantiam alimentalem, quod abſurdum eſt, vt tibi examinanti patebit. Etiam craſſus poteſt eſſe formoſus & elegans, quanquam non adeo tener. Teneritudinem iſtam nihili fecit Gorgone Leonidæ vxor, quæ hoſpitæ cuidam dicenti; *Solæ vos Spartanæ viris veſtris imperatis*, reſpondit: *quia ſolæ etiam viros parimus*. Quemadmodum grauidas non licet niſi ægrotas, atque tum caute, purgare, ita eas non licet, niſi vrgentiſsimis cauſis ſanguine minuere, dicente Hippocrate: *Mulier in vtero ferens ſecta vena abortit, eoq; magis ſi grandior fœtus*. Veritatem huius aphoriſmi optime norunt vitiatæ virgines, quæ per venæ ſectionem conceptum fluere cogunt, vt nimis quam notum eſt. Hollerius, qui fuit aphoriſmorum egregius commentator, dicit: *Nos hodie ſæpe à morte vindicamus & matrem, & fœtum miſſione ſanguinis, etiam in morbo periculoſiſſimo, vt pleuritide, febre ardente, &c. quanquã in his fere abortiant*. Hæc verba non euincũt,

tuto mitti poſſe ſanguinem in grauidis, vt palam eſt, ſed in periculoſis morbis (id quod omnes ſciunt fieri oportere) non niſi tamen quam cum frequentiſsimo abortu, vt ego expertus ſum. vnde ipſemet Hollerius cautelam imponit dicens: *Non temere detrahendus eſt ſanguis, fœtu præſertim jam grandiore, ſed videndum eſt, an robuſtæ ſint vires, & an ea mulier ſit obnoxia abortioni. Præterea, vt plantæ, ſi alimento deſtituantur, langueſcunt, reſiccantur, & ita decidunt; ſic in mulieribus vtero gerentibus, ſi deſit alimentum, reſiccatur fœtus, reſiccatur & vinculum vteri, & ita ante tempus pariunt.* Dico ergo, temeritatem eſſe, non artem, in grauidis mittere ſanguinem. Quando imminente partu vocaris, obſtetricem potius quid facto opus ſit doceas, quam ipſe peragas, multa enim tunc ſecus accidunt, quibus medici fama lædi poſſet, præſertim anatomiæ ignari. Immittere vncos inhumanum, paracentheſin exercere barbarum, niſi in mortuis. Difficultatem, aut facilitatem partus hæc indicant: Mulieres quæ lumbis dolent, vix pariunt, quæ aluo ocyſsime, quæ imo ventre difficulter. mulieres facilime ſub plenilunium videntur prolem eniti. cetera apud

probatos

probatos authores invenies. Vnum miror, quod refert Valeſcus de cognoſcenda ſalacitate mulierum, dum ita loquitur: *Scias, quod ſecundum rei veritatem, & ſecundum Gordoniū, fiſſura labij inferioris in mulieribus ſignificat ſiccitatem matricis, quia matrix ſicca appetit frequenter rorari, ideo tales vt plurimum ſunt petulanter coitum appetentes.* Quæ communicatio labiorum fiſſorum cum matrice ſicca? ſint tamen iſta vt authoribus placuerit.

Porro malitia mulierum, earumque praua natura, ſi poëtis credimus, quam vehemens, & quam curatu difficilis morbus?

—— verba & componere fraudes
Hoc vnum didicit femina ſemper opus.

tum addit Seneca:

—— dux malorū femina, & ſcelerum artifex
Obſedit animos, cujus inceſtæ ſtupris
Fumant tot vrbes, bella tot gentes gerunt,
Et verſa ab imo regna tot populos premunt.
Sileantur aliæ: ſola conjux Ægei
Medea reddit feminas dirum genus.

His additur cōmune prouerbium: *aut amat, aut odit mulier, nihil eſt tertium.* Iſta ſane eſſent pluſquam contagia, ſi muliebres virtutes hæc non ſuperarent, ita, vt præſtātiſsimos

viros fortitudine, magnanimitate, temperantia, amore, affabilitate, aliiſque ſummis virtutibus adæquent, etiamſi Plato de earum inertia conqueratur ita loquens: *Magno certe Reipublicæ vitio dandum eſt, ita ignaue mulieres educari, vt nec veluti aues quidem pro filiolis contra feroces audeant beſtias pugnare, moriq; potius velint, cunctaq; ſubire pericula, quam ſtatim ad aras templaq; confugere, opinionemq; de genere hominum dare, omnium ignauiſſimum eſſe* Adde ſolertiam in educandis liberis, in domo gubernanda; pietatem in Deum, in patriam, in conjugem, & in ſeipſam omnem virtutem. Vt prudenter dixerit Xenophon de Conjugio: *Enim vero pulchra mulier, itemq; bona, non ex ipſa tantum ſpecie aut forma, quantum ex virtute metiri ac ſpectare licet.* Item: *Mihi profecto videtur, deos ipſos multa quidem ſapientiſſime, tum præſertim jugum hoc (matrimonium) inſtituiſſe. primum quidem ne animantium genera deficerent; deinde vt haberemus à quibus noſtra ſenectus aleretur. cumq; mortalium vita, non vt ceterorum animalium ſub dio, ſed ſub tecto ducatur, oportet ſub dio procurare, quorum adminiculo futurorum hominum ſub tecto conſulatur.* Dicunt etiam, mulieris pulchritudinem animos ho-

minum ita concatenare, atque illectare, vt viri ſanctiſsimi de bono propoſito diſturbentur: quod non fieret, niſi mulier commoueret. Ad hoc reſpondet idem: *Putas fieri poſſe, vt mulieris pulchritudo, eum qui nolit, cogat agere, quod factu non ſit optimum? nam ſi hoc ita natura habet, omnes identidem cogeret. videſne, vt ignis omnes itidē vrit? natura talis eſt. pulchras autem alias amant, alias non amant, & alius aliam. etenim res ſpontanea, & quiſq; amat quā velit.* Sed jam diu à materia noſtra deſciuimus, jocunde lector: mulieres in morbis juuemus, in moribus patiamur.

De Senibus,
CAPVT XXIII.

L*ongis morbis ſenectus*, inquit Celſus, *acutis adoleſcentia magis patet.* Ideo ſenibus patientia magis, quam medico opus eſt. vnde curam moroſiorem circa ſenes inſtituere vanum eſt, cum debiliores ſint, quam vt varias medicationes ferre poſsint, deficiente calore vitali, quo vires reficiuntur. Apud Hippocratem quidem juuenibus minus laborant: quicunque vero morbi ijs accidunt diuturni plerumque commoriuntur. Quare plurimū

effeceris, ſi aliquanto ſaltem ſuſtentaueris, cum difficile ſit curare eos, quorũ ætas ipſa morbus eſt, vltro lege naturæ ad interitum tendens. Quemadmodum enim, vt ait Cicero, poma ex arboribus, ſi matura & cocta ſunt, decidunt, ita ſenectus vitæ maturitate cadit. Iſta tamen non curant ſenes, imo auidius medicum volunt, etiamſi jamjam in cymba Charontis Cocytũ trajiciant, nihilq; incurabile in ſe animaduertunt, vt olim Heracletus morbo laborans intercute à medico poſtulabat, vt imbrium abundantiam in ſiccitatem conuerteret. Mihi videtur Tiberius Cæſar non pro ſenibus quidem, ſed pro eo quod res eſt, appoſite dixiſſe: *Ridiculum eſſe, virum eum, qui annum vitæ ſexageſimum egreſſus manum medico porrigat.* Quod ſi ſenectutis incommoda conſideremus, quam multis malis ſenes obruantur, quam eos filij ipſi peroſi ſint, ſatius eſſet, cito ipſos expediri, quo facilius his miſerijs liberarentur, cum illud quod viuunt, miſere inuiſeque viuant.

Ædepol, ſenectus ſi nihil quidquam aliud vitij
Apportet ſecum, quum advenerit, vnum id eſt ſatis,
Quod diu viuendo multa quæ non volt videt.

Tum

Tum etiam in ſenecta hoc deputo miſerrimum;
Sentire ea ætate, eſſe odioſum ſe alteri.

Hoc tamen miſerius eſt, in juuenta pulchros tranſiſſe dies, genio indulſiſſe; in ſenecta vero nec viuere, nec mori poſſe. Illud præſtare oporteret ſenes, exprobrare nimirum corpus languidum, à juuenilibus illecebris morbidum, pituita tumidum; & ita hortari juniores, vt à voluptatibus, à nepotatione abſtineant, ne pari miſeria afficiantur. vt Seneca pulcherrime ſenes reprehendit inquiens: *Non pudet te, ſenium, reliquias vitæ, reſeruare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſet? quam ſerum eſt, tunc viuere incipere, cum deſinendum eſt!* Hæc vero ætas, ſi virtutem colat, quam grata, quam venerabilis, quam amanda? ipſi autem ſenes, cum vitam bene transactam contemplantur, quam jocunde intra ſe, quam pacate viuunt? moderati enim, nec difficiles ſenes, nec inhumani tolerabilem agunt ſenectutem; importunitas autem & inhumanitas omni ætati moleſta eſt. Egregium ſenem adduco Leontinum Gorgiam, qui centum & ſeptem compleuit annos, cum ex eo quæreretur, cur tandiu vellet eſſe in vita, *nihil*

habeo, inquit, *quod incuſem ſenectutem.*

In ſenibus ſummum ſolatium eſt auaritia, ita enim ceteras moleſtias patienter perferũt, modo vel lucrentur, vel parta ſeruent, & abcondant. Vnde Simonides eum ob auaritiam culpantibus reſpondit, *ſe per ſenectutem reliquis ſpoliatum voluptatibus, vnica lucrandi oblectatione grauem recreare ætatem.* Verum hoc vitium, ſi vitium eſt, facile toleratur, modo cetera deſint, quæ ita à poëta cantantur:

Turpe ſeni nitidi vultus, veſteſq; decoræ,
Atq; etiam eſt ipſum viuere turpe ſenem.
Crimen amare jocos, crimen conviuia, cantus,
O miſeri quorum gaudia crimen habent.

De ſenectute tacebimus, jocunde lector, poſtquam ego illam cum Cornelio Gallo ita deſcripſero, dum ſeipſum alloquitur:

Contrahimur, miroq; modo decreſcimus ipſi,
Diminui noſtri corporis oſſa putes.
Nec cælum ſpectare licet, ſed prona ſenectus
Terram, à qua genita eſt, & reditura, videt,
Fitq; tripes, prorſus quadrupes, vt paruul⁹ infãs,
Et per ſordentem flebile ſerpit humum.

Erit ne ergo piaculum, ſi his malis breuem exitum optemus? ſed jam ſatis eſt. Tu vero, mi medice, memineris, in ſenibus pauca, eaq; leuia,

leuia, quæ tamen vim habent vires reficiendi, medicamenta vſurpari, ne natura tantis materijs, ob calorem imminutum impar, potius impediatur, quam ſubleuetur.

De Vetulis,

CAPVT XXIV.

CVm ea, quæ omnium morborum fontes erant, in vetulis ceſſent, non eſt cur in eis tractandis pertimeſcas. deſæuijt matrix, ſiccæ ſunt voragines, emarcuere partus, finiere purgationum circuli, pereunt illecebræ, jam omnis malorum ſeges areſcit, ſi quæ ſuperſunt morborum reliquiæ, ætatis ſunt, cum aliorum fomenta deſint. Quod vero corpus ſit imbecillum, caſcum, fluxile, ventriculus cibo vel leuiori impar, mala pituita naſi ſtillet, oculi obſcura acie rubentes, lippitudine incruſtentur, aures obſurdeſcant, debilis ac paucus calor, qui vix vitæ ſufficit, ipſaque natura languida prorſus & deficiens in cauſa eſt. dum enim interioribus vitæ partibus, & quidem ægre, ſubvenit, ignobiliores exterioreſque deſtituuntur. Vnde non mirū videatur, ſi à ſupervacaneis obruantur, cum & nobiliora vix tuta ſint, pereunte ſenſim calore

vitali,

vitali, ejuſque reſarciendi adminiculo. Has itaque non ſecus ac ſenes tractare operæ pretium erit. Verum animi ægritudines qui curaueris? intolerabiles ſane ſunt, vnde neceſſario curandæ eſſent, vt ij cum quibus vetulæ verſantur, tandem quiete beateque viuerent. Ecce centies in die filiæ inſultat anus, domeſticos perpetuo circumrodit, ſæpe emungitur, ſed ira nũquam cadit naſo, nunquam detumeſcit lien, diebus noctibuſque eundem irarum impellit circulum, quaſi ſic, neque aliter viueret. Præſertim ſi bibax ſit, & crapulam non ſtatim edormiat. Non poſſum omittere Epithaphiũ anus bibacis, olim lectum à me apud Ioſephum Scaligerum, quod ita ſe habet:

Nex doliorum, temulenta hic conditur
Anus Maronis, ſculptus eſt tumulo ſuper,
Cunctiſq; noſcitandus Atticus calix.
Nunc vel ſepulta non viro, aut natis ſuper
Flet, quos reliquit rerum egenos omnium,
Illud flet vnum, quod calix inanis eſt

Ceterum ad morbos iſtos vetularũ non efficacius aliud medicamentum vſurpamus patientia, nullo alio proficiente, vſque dum mors eos æternum curauerit.

Vtrum

Vtrum Senium poſſit tardari, & juuentus reſtitui,

CAP. XXV.

SEnium, cum vitæ ſit extremum, omnes abhorrent; cum viuere deberemus, non curamus, cum deſinimus lamẽtamur. Enim vero ingens humanæ mentis negligẽtia; primum in mortis limine vitam velle prolixam. Ob hanc itaque cauſam alienis curis tradimur, atque in extraneis medicinis ſpem vitæ protrahendæ ponimus, cum medicis ſcrupulatim nobiſcum agentibus, confidimus, quaſi vero ad nutum juuentam, ſenium, mortem denique ipſam retrahant, ceu forent medicorum mancipia. Quot ad hoc æui fuere, qui vitam centum annorum, & vltra, ſalubrem promiſere? verum eos ipſos, qui ſine medico ad illam ætatem perveniſſent, citius quam oportebat, mactauere. Abſq; iſtis Sicophantis & impoſtoribus *Satis longa vita*, inquit Seneca, *& in maximarum rerum conſummationẽ large data eſt, ſi tota bene collocaretur: ſed vbi per luxum ac negligentiam defluit, vbi nulli rei bonæ impenditur, vltima demum neceßitate cogente, quam ire non intelleximus, tranſiſſe ſentimus.* Ita

eſt

eſt profecto, ſi illecebris parceremus, diu ſane viueremus, nec oporteret medicinas quærere, quæ ſenium impedirent, & juuentam reſtituerent. Sine medicinis Xenophilus muſicus centum & quinq; annis vixit, ſine vllo corporis incommodo, Terentia Ciceronis centum & tribus. Antonius Caſtor, inſignis Botanicus, centeſimum ætatis annum excedens nullum corporis malum expertus, ac ne ætate quidem memoria aut vigore cõcuſſis. Quæ medicina puerum illum, vt refert Plinius, qui in ſpecu ab itinere feſſus ſeptem & quinquaginta dormiuit annis, & poſt experrectus adhuc centum vixit, conſeruauit? Sane non Elixir vitæ, quod ignorabatur, nec aliæ compoſitiones, quas jactant, cum his nemo vteretur. Verum vt hanc quæſtionem *intellectiue* diſcutiamus, dicamus primum quid ſit ſenium. Senium apud me eſt id tempus, in quo vires hominis incipiũt deficere, natura labaſcere, temperamentum mutari, calor vitalis extingui, & humidum radicale conſumi. Iuuenta vero eſt id tempus, in quo iſta omnia vigent. Siquis itaque velit ſenium impedire, neceſſariũ eſt, vt id tempus reſtituat, in quo vires conſeruentur, natura ſui ſit potens,

tens, temperamentum ſit æquale, calor vitalis augeſcat, & humidum radicale non diffluat. Tempus illud, quando abſolutum eſt, non amplius reducitur: in ſenio abſolutum eſt, ergo ſenium non poteſt tardari, cum id, quod ſenium tardat, jam dudum conſumptum ſit. Adde quod communiter dicitur, naturam quidem juuari poſſe, ſed non corrigi. ſane ſi labaſcat non poterit reſtitui, ergo minus ſenium impediri. Neminem itaque tam audacem fuiſſe crediderim, vel nunc, vel antiquitus, qui juuentã abſoluto ſenio reſtituerit. Antonius Muſa, celebris olim medicus, inſanabilia quidem vulnera, poſtquam carnem viperarum edendam dabat, ſtatim perſanabat; quod viperæ omnium morborum remedium opportunum crederẽt, quia Incolæ montis Athos, cum viperinis carnibus alerentur, neque capiti, neq; veſtibus eorum noxia patiebãtur animalia: ſed vnquam juuentam reſtituiſſe nuſquam legitur. Auicenna poſtmodum has carnes aliter expertus eſt, cum dicat, cuidam ex comeſtione viperinæ carnis apoſtema in collo plenum pediculis obveniſſe.

Chymici contra reclamant, ſuas eſſentias, marga-

margaritas præparatas, varias auri potationes, auri potatores, aliaſque compoſitiones ſub varijs nominibus obtendunt, quibus vita humana incōcuſſa conſeruetur. Helmontius inſignis obtrectator, quendam Buthlerũ Hybernum deprædicat, propter lapillum quendam, qui ſali marino ſimilis videbatur, cujus medicamen tantæ fuit efficaciæ, vt intinctu ſolum in oleo oliuarum, vel linguæ ſolo linctu infiniti morbi radicitus curati fuerint. Arnaldus Villanovanus ſanguine humano deſtillato mortuos ſuſcitat, alijs vero languidis ſpiritus fouet, cum & aqua chelidoniæ idem præſtat. Paracelſus rei medicæ peſtis, cum ſuis aſſeclis, cum ignota ſua Panacea qualiacunque voles promittit. Cardanus inter ceteros deſcribit aquam deſtillatã, qua vſus Gallus Caroli imperatoris medicus, centum & viginti quatuor vixit annis. quæ talis eſt: Cubebarum, cinnamomi, galangæ, caryophillorum, nucis myriſticæ, zinziberis, par pondus, ſaluiæ quadruplum, ardente aqua ſexies deſtillata ex optimo vino quantum eſt pondus omnium reliquorum, condita deſtillabis. Hac medicina ſane ſeniũ tardatum eſt, cur ergo quis neget, apud chy-

micos meliora & præſtantiora non proſtare, cum ſuis Eſſentijs Archei ſui iram ita temperent, vt propter authoritatem regiminis, conturbata omnia in corpore ſiſtat? Dabitur ergo Panacea Chymica, cujus efficaciam etiã ſenium reſtitutum ſentiat. Ad hæc ita reſpodeo: Chymicorũm Eſſentias, aurum potabile, perlas præparatas, & ſi quæ ſunt ejuſmodi, tum aliorum medicorum variarum compoſitionum deſcriptiones, ad ſenium tardãdum, & juuentam reſtituendam, meras eſſe fallacias, & ſpecioſa artificioſaque figmenta. Butlerum Vilvordiæ carcere detentum (quã ob cauſam dicat, qui eum viſit Helmontius) cum ſuo lapillo nunquam ſenium reſtituiſſe, ſed virum vafrum (propter carcerem) cum ſuo Franciſcano, qui primus ab eo curatus fuit, atque Butleri carceris ſocius, ita callide rem ſuam vendidiſſe, vt Helmontius homo credulus ei tanquam Apollini adhæſerit, ipſe tamen ab iſto lapillo ex ſuſpicione veneni, vt ipſe teſtatur, non liberatus Butlerum acerrime defendat. Quis vnquàm credat, ex ſolo linctu lapilli, in oleo tincti, aut ex aliquot guttulis illius olei Hydropa, Ereſypelas, Arthritides, aliaque corporis importuna onera cu-

rari potuiſſe? *Conſidera enim*, inquit Galenus, *quot numero partes tranſire oporteat id medicamen, quod ad pulmonem ſit perventurum: primũ quidem os & fauces, & ſtomachum, deinde & ventriculum ipſum, & quædam ex tenuioribus inteſtinis, deinde eas, quæ ſunt in meſenterio, venas, deinde eas, quæ in cauis partibus hepatis: ex quibus ad eas, quæ in gibbis tranſumptum: hinc ad concauam peruenit venam: poſt quam ad cor: deinceps hoc modo ad pulmonem.* Ita, inquam ego, conſidera, per quot partes guttulas illas olei, aut lapilli linctus perrumpere oportebat, & quæ vaſa refrigerare, quas voragines exhaurire. applicatæ quidem credi poſſent, ſed ſolum lingi, aut oleo tingi & deuorari, nemo eſt qui credit, niſi ſit perfectus mango. Alia iſtius lapidis cõmoda ceteris examinanda relinquimus. Arnaldi vero ſanguis deſtillatus ad quid proderit? quam primum extra venarum oſculũ eſt, ejus ſpiritus euaneſcit, nihilq; præter ſerum & fibras remanet. quid ex his ad humanam ſalutẽ eduxeris? Si calidus ſalſem ſpiranſque potaretur, crederem aliquid, vt olim à comitialibus. *Sanguinem gladiatorũ*, inquit Plinius, *bibunt vt viuentibus poculis, quod ſpectare facientes eadem arena feras, quoq; horror*

eſt.

eſt. At hercule illi ex homine ipſo ſorberi efficaciſſimum putant calidum ſpirantemq́3, & vna ipſam animā ex oſculo vulnerum, cum plagis ne ferarum quidem admoueri ora fas ſit humana. Et licet ab homine ipſo ſorberetur, nihil tamē ad ſenium impediendum conferret, minus aqua chelidoniæ, quæ fouere ſpiritus vitales dicitur. Quæ proportio aquæ cum ſpiritibus? nemo ſanus dixerit ſpiritus vitales ex aquis deſtillatis fieri, quomodo ergo languentem hominem & moribundū reſtituent? quamobrem vana eſt iſtorū jactatio, vt merito cum Galeno dixerim, *Plerique alios docere tentāt, quæ nec ipſi vnquam fecerunt, nec alijs oſtenderunt.*

Iam vero Paracelſi Panaceam, ſeu ipſius Elixir vitæ, Tincturam phyſicorum, Azoth, aliaque ejus rei nomina, & rem ipſam examinemus. Materia huius admirabilis medicinæ quid aliud fuit, quam materia vniuerſalis chymicorum, nempe Mercurium, Sulphur, tartarum, vitriolum, aqua vitæ, acetum potens, ſpiritus varij corroſiui, aurum, chalybs, antimonium, & ſi quæ ſunt alia ad rem accommoda metalla. Per varias itaque putrefactiones, reuerberationes cohobationes, deſtillationes, calcinationes, ſublimationes,

philo-

philoſophicas rectificationes, tandem puluis neſcio qualis, aut liquor neſcio qualis, cum alijs rebus, ne fraus animadvertatur, mixtus hanc Panaccam efficit, quæ plus poſsit, quam natura humana, quæ non ſolum morbos quoſcunque tollat, ſed & temperamentum naturale non ad pondus, ſed & ad juſtitiam melius reſtituat, poſtquam ſenium illud ipſum conſumpſit. Sic enim ipſemet Paracelſus de hac Panacea loquitur, tractatu de Tinctura phyſica, capite ſeptimo: *Etiamſi antiqui artifices hujus arcani* (Lapidis philoſophici, ſeu Tincturæ phyſicæ) *ingenti deſiderio illud quærentes libenter inveniſſent, pauci tamen opus ad finem perfectum perducere potuerunt. multa enim difficultates reperiuntur in metallis imperfectis ad perfecta reducere, vt ex Ioue, Luna, aut Venere Sol fiat: maxime, quod forte magnalia naturæ, propter ſcelera noſtra, occultantur. Aliquoties enim ab artificibus jam præparata tinctura, cum ad finem non perveniſſent, rurſum evanuit, & male cuſtodita à gallinis deglutita ipſis plumas excuſsit, nihilominus tamen, vt vidi, repullularunt. Ita fortuito, & ex ignorantia operantium tranſmutatio Alchymiæ ad medicinam devoluta eſt, cum tincturam ad vſum deſideratum applicare*

ignorarent,

ignorarent, ad renouationem hominis traduxerũt. Hæc nimirum illa tinctura eſt, per quam vita quibuſdam ex primis Phyſicis Ægypti olim & nunc, ad centum quinquaginta annos producta eſt. imo plures longius, & ad ſæcula, vt hiſtoriæ teſtantur, vixerunt, quamuis nemini hoc verum videatur. Virtus enim iſtius tam mirabilis complexionem humanam majorem naturali reddit, atq; in eodẽ gradu conſeruat, ſaluo ab omni morbo corpore; tum ætatem, licet annis grauem, juniorem & vegetam redintegrat: adeo Tinctura phyſicorum medicamentum vniuerſale eſt, vt velut ignis inviſibilis omnes morbos cujuſcunq; generis diſſipet. Doſis ipſius valde exigua eſt, virtus vero maxime efficax. vnde Lepra, Lues gallica, Hydrops, Colica, Epiplepſia, Apoplexia, Podagra, Eſthiomenos item, Cancri, fiſtulæ, omniaq; mala interna à me toties curata fuerunt, vt vix numerari poſſint, quemadmodum Germania, Britannia, Gallia, Italia, Sarmatia, & Bojorum regio ſatis ſuperq; teſtari poſſunt. Quid ergo in medicina majus, quam tale purgamentum corporis? per quod ſuperfluitates hominis radicitus extirpantur, ſimulq; omnino immutantur. Si enim ſemen ſanum redditur, reliquum omne bene ſe habet, &c. Ita germanice, vt ego latine Paracelſus. Arnaldus de hoc ar-

cano loquens ita laudat, & Paracelſi dicta confirmat: *Hæc medicina vniuerſalis hominis ſeneſcentis, quãtum poſsibile eſt, vires ita fortificat, & ſanitatem illius in talem ſtatum reſtituit, ac ſi homo ille triginta ſolum eſſet annorum.* Alius ita adſtipulatur: *ſi ſingulis diebus, & ſeptem continuis hoc Elixir noſtro vtare, pondere trium granorum ſinapi, cani crines excident, & nigri ſubſtituentur, ſicq; rejuueneſces maximis corporis viribus auctus.* Alius item: *Philoſophi ter in hebdomade Elixir rubro lapidis philoſophi doſi vnius grani ſinapi vtentes, vt aquila juuentam renouarunt, & conſtitutum viuendi tempus, pluſquam quinquaginta annis auxerunt.* Et vt ſummariter dicam, hoc medicamentum ita ab omnibus Chymicis celebratur, vt homines quaſi ſempiternos reddat, atque in omnibus morbis, vitæque periculis invictos. Nihil eſt, quod medicamentum iſtud non præſtet, vt græculus ille apud Iuvenalem:

Grãmaticus, Rhetor, Geometres, Pictor, Aliptes,
Augur, Schœnobates, Medicus, Mag⁹, omnia nouit
Græculus eſuriens, in cælum juſſeris, ibit.

ſed mittamus jocos, & rem iſtam ad minutula quæque dearticulemus, apparebunt procul dubio iſtius medicamenti virtutes.

Et

Et primo quidem cõſtat, vt ſuperius dixi, hoc arcanum fieri ex mineralibus, fatente Paracelſo dum inquit: *Ita fortuito, & ex ignorãtia operantiũ tranſmutatio Alchymiæ ad medicinã devoluta eſt, cum tincturã ad vſum deſideratã applicare ignorarent, ad renovationem hominis traduxerunt.* Nempe Chymiſtæ libenter aurum ex alijs metallis tranſmutatis feciſſent, ſed tincturã metallis inducere nõ potuerunt, atq; ita quæ in metallis efficiendis nihil valebant, in medicamentum tale, quod in homine magis, & forte felicius, ageret, commutarunt. Tranſmutatio Alchymiæ circa aliud non verſatur, quam circa mineralia, vt omnes iſti philoſophi minerales fatentur. ergo cum effectus Alchymiæ mutatus ſit in medicinam humanam, hæc medicina conſtabit ex mineralibus, cum mutatum tranſeat in mutans, & viciſsim. ſi enim lapis debet fieri panis, panis lapidem mutat in ſuam ſubſtantiam, & non amplius remanet lapis, ſed lapis cum pane panis eſt. Ita medicina iſta cum Alchymia commutata eſt: Alchymiæ vero materia mineralis eſt, ergo & medicina hæc erit mineralis. Quæritur jam, quæ medicina potuerit fieri ex illa materia, quæ in tranſ-

mutatione metallorum male ceſsit? dicit enim Paracelſus, *maximas reperiri difficultates in metallis imperfectis ad perfecta reducens, vt ex Ioue, Luna, aut Venere Sol fiat:* Neſcio plane quid boni ex errore poſsit fieri, qui in metallis non potuit corrigi. Tincturā ad metalla tranſmutanda inuenire non potuerunt, quomodo medicamentum vniverſale ex metallis eruent, quibus cum corpore humano nulla, minus cum ſenecta aut juuenta datur proportio? Si magnalia naturæ propter ſcelerá occultantur, quomodo medicamentū̃ iſtud (maximum magnale, ſi quod aliud) ex metallis ſeu mineralibus excoquere potuerunt, cum plerique Chymici fallaces (in hac re) & pluſquam invidi ſint? inuidia vero non vitium eſt? ergo propter ſcelus nihil efficere poſſunt, cum ſceleſtis magnalia occultentur. Si in tranſmutatione magna ſit difficultas, in tinctura phyſica, quæ futura ſit medicina vniverſalis, cæleſtis, immortalis, minor erit? plures in lapide illo fruſtra deſudarunt, & facilius in hoc arcano pertexerunt? In metallis errarunt, in homine vero opus audacius tentant, & cum vtrobique ignari ſint, laudes operis quod nunquam abſoluerunt,

recitant, inculcant; hiſtorijs, quæ nunquam fuerunt, rem accumulant, regiones non quales ſanaverint, ſed ex quibus ſicophantæ aufugerint, dictitant, teſtes adducunt non veritatis, ſed mendacij impudentiſsimi: adeo vt cum Lucretio exclamem:

O miſeras hominum mentes, ô pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantiſq; periclis
Degitur hoc ævi quodcunq; eſt?

mercurium, hominis pernicies, balſamum vitæ credimus, quod chymici hoc affirment, caloris naturalis reſtauratorem, humidi radicalis fomentum, totius vero naturæ humanæ correctorem, tam care emimus, tam bene conſeruamus, tam cupide quærimus; & tamen quid aliud eſt, quam medicamentum periculoſiſsimum, quod ſanitatem labefactat in ſano corpore, in ægro vero affectus amplificat?

Reſpondent hic Chymici: Pernicies quidem eſt, ſed ſi philoſophice præparetur, corrigatur, rectificetur, tum verum alexipharmacum eſt, tum morborum hydram cum capitibus renaſcentibus amputat, tum radicem omnium malorum corporis auerruncat, exſiccat, ſupprimit, demetit, vt recte Pa-

nacea dici mereatur. At ego interrogo, qualis eſt iſta philoſophica rectificatio? talis eſt, inquis, quæ materiam hujus Panaceæ ita immutat, vt nihil inquinamenti in ipſa remaneat, ſed illius reſiduum omnino defœcatũ abeat in Eſſentiam ita ſpiritalem, & omnipotentem, vt velut ignis inuiſibilis diſsipet & concremet flammam fomitis omnis mali in corpore humano delitescentis, & naturã humanam poſtquam deſenuit, prima nobiliorem & vegetiorem renaſci faciat. Ego vero quæro: differt ne eſſentia à materia, ex qua educta eſt? Eſſentia vini, ſeu aqua vitæ quam vocant, eſtne quid aliud quam vinum bis, ter, quater, quinquies, ſexies rectificatũ? nam nihil poteſt à quaquam materia elici quam id, quod materiæ inerat, cum ſpecies educantur de potentia materiæ. Tu recte reſpondes, Eſſentias rerum nihil aliud eſſe quã partes ſubtiliores à craſsiori materia purgatas à re, ex qua fiunt eſſentiæ. Ego vero: ergo tincturæ Chymicorum, Azoth, Lapis philoſophicus, quæ nomina nil aliud ſunt quam eſſentiæ à mineralibus ſimplicibus vel compoſitis extractæ, nihil aliud erunt quam pars ſubtilior ex his, ex quibus eductæ ſunt. In-

tellige

tellige jam virtutem veſtræ Panaceæ. Mineralia & metalla & ſi quæ ſunt ejuſmodi, in homine ſunt toto genere præter naturam: ergo & Eſſentiæ ſeu Panacea ex his facta eſt homini toto genere præter naturam. quæ enim homini in alimentum non cedũt, neq; in ejus ſubſtantiam, neq; in compoſitionem hominis, ſunt toto genere præter naturam. Quis autem mortalium à mineralibus, vel à metallis nutritus fuit? quis dicet hominem ex varijs metallis componi? quis hominis ſubſtantiam & ejus alimentum affirmavit metallicum? experire, mi Chymice, quandiu cum tuis mineralibus & metallis victurus ſis. abſtine ab omni alio cibo, vtere vero tuis eſſentiis, breui vitã tuam breuiorem nos docebis. Nunc optime concluditur: Ergo eſſentiæ mineralium & metallorum homini ſunt toto genere præter naturam. quod autem homini eſt toto genere præter naturam. non ſolum non conſeruat, vel renouat, ſed hominis naturam corrumpit; ſenium non tardat, ſed accelerat; juuentam non reſtituit, ſed abigit. Ergo tincturam phyſicam gallinæ vltro deglutiant, non homines: parum enim erit vel pereant, vel viuant, modo homines

ab iſtis nequitijs abſtineant.

Ad experientias pergamus. Quod Tinctura hæc, ſeu Elixir vitæ ſit medicamentum vniuerſale probat Paracelſus Bóbaſt primo à gallina, quæ per incuriam artificum medicamẽtum hoc deglutijt, inde plumas amiſit, poſt recuperauit. deinde à Phyſicis Ægypti, qui hoc medicamento vſi pene duo ſæcula ſalubriter vixerunt, vt hiſtoriæ docent, nullam tamen hiſtoriam citat. Tertio à ſe ipſo curando morbos infinitos, difficilimos, deſperatos ex teſtimonio totius pene orbis, quẽ non peragrauit, & ferme in ſola Germania degit, nec vnquam Ægyptum vidit. Ad primum ſic reſpondeo: gallinæ deplumationẽ nihil probare: nam poſt incubationem etiam deplumantur, & per ſe plumæ renaſcuntur, vt omnibus notum eſt. Anſerum & Anatum plumas aliquoties ad culcitras faciendas deglubimus, & rurſus ſuccreſcunt abſque iſta tinctura deglutita. Vnde ſi gallina ab iſta materia plumas perdidit, cauſa fuit materiæ perniciés, non mirabilis effectus; aut forte illo tempore deglutijt, quo jam prona erat ad detractionem & renouationem plumarũ. Quaſi vero deplumatio ſignum ſit rejuueneſcen-

tiæ: imo ſignum eſt debilitatis, & abundantiæ materiæ, non vero virtutis augeſcentis: alias pſilotra omnia eſſent Elixir vitæ, renaſcuntur enim pili, poſtquam exciderũt Amicus Raſis, vt ipſemet refert, potata drachma calchanti, ſeu vitrioli, vna nocte omnes pene amiſit capillos albos. ergo vitriolum erit Elixir vitæ? minime. non itaque licet argumentari, medicamentum excutit plumas, plumæ vero renaſcuntur, ergo medicamentum reſtituit juuentam: depilare enim & deplumare non includũt renouationem hominis aut alitis. Caluitiem quidem, hominis probrum, & capitis dehoneſtamentum, bonam ſanitatem ſignificare contendunt, non tamen ſanitatem efficit; quanquam Æſculapius medicorum princeps caluus & imberbis pingatur. vt neque quod dicit Syneſius, prudentiam & pilos habere inimicitias, ita, quod animalia quæ ſunt maxime piloſa, vt oues, ſunt omnium imprudentiſsima, quæ vero paucos pilos habent, vt homo, ſunt omnium prudentiſsima: nam pili neque imprudentiam, neque prudentiam in homine aut beſtia cauſant, cum excrementa externa in interna nihil agant. Ad ſecundum ita: qui

ſunt iſti, *quidam ex primis Phyſicis Ægypti?* Sunt ne illi antiquiores, vt ſuperius loquebatur Bombaſt, qui quidem ſummo ſtudio laborarunt, vt hoc ſecretum invenirent, attamen in ipſo opere defecerũt, & cum ad vltimum ſperabant peruenire, vanus excidebat labor? Si iſti ſunt, non propter ſecretum, quod neſciebant, tandiu vixerunt, ſi tamen verum ſit quod tandiu vixerint: veriſimile enim eſt, hominem iſtum vafrum hanc ætatem Phyſicorum Ægyptiorum commentum fuiſſe. Vnde Paracelſo patuit, hos viros hac tinctura Paracelſica, ſeu vt verius dicã, paraphantaſtica fuiſſe vſos? iſti ſane Phyſici Ægyptij, tinctura item Paracelſica tantum habent eſſe in intellectu, nempe vera ſunt phantaſmata. Ad tertium ſic: plures quidem ſanaſſe Paracelſum, id eſt, ſub cura ipſius multos non ſua ope, ſed caſu à morbis difficilibus euaſiſſe; medicinam autem vniuerſalem habuiſſe, nihil minus quam iſtud eſſe verum. quod ita probamus: Si medicinam vniuerſalem habuiſſet, ſeipſum ſeruaſſet; ſed cum male perijt, & quidem florenti ætate quadrageſimo ſeptimo anno nimirum, ſignum eſt manifeſtum, nullam medicinam vel mediocrẽ, non

dico

dico vniuerſalem habuiſſe, cum qua ſibi ab exitio cauiſſet. Nec eſt quod dicant Aſſeclæ hominẽ toxico ab invidis propinato perijſſe, veritatem enim rei augent, nam & veneno debet medicina vniuerſalis præcauere, alias multi morbi exciperentur, qui vniuerſalitatem medicinæ negarent. Quomodo ergo Tinctura philoſophorũ poterit ſenium tardare, & juuentam reſtituere, naturam humanam corrigere, in ætate deficienti vigorem prolificum reſtaurare, & alia hujuſmodi? ſi aliquid habuiſſet, in ſe illud exercuiſſet, vt ſaltem fidem & authoritatem rei hujuſce conciliaſſet. Ipſe deceptor aliorum corpora cum ſuis venenis ſuſtulit, ſibi vero ab hoc maleficio pepercit, niſi forte à propria ſua excellentiſsima medicina vniuerſali perierit. Eraſtus & Zwingerus ſcribunt, multos Basileenſes cum Frobenio intra annum poſt Paracelſi curam interijſſe. adeo vt

Nec nox vlla diem, neq; noctem aurora ſecuta'ſt,
Quæ non audierit mæſtos vagitibus ægris
Ploratus, mortis comites, & funeris atri,

quando Paracelſus curabat. Hoc expertus eſt olim nobilis vir Monachus nomine, ducis Bauariæ culinæ Præfectus. poſtquã enim

ab aulicis Paracelſo (quod d. Panthaleon,& d. Carteuſerus ad curam ſufficientes non viderentur,cum tamē jam inclinaret morbus) commendatus officioſiſsime, vnguento ex hydrargyro hominē officioſiſsime ſuſtulit. ſed pridie quam moreretur, hic nempe medicorum Monarcha Monaco clam in Auſtriam aufugit. Pari ſucceſſu Podagram curauit in generoſo Barone Ioanne á Leippa, Mareſchallo regni Bohemiæ: nam non ſolum malum auxit, ſed & arthriticum reddidit. & filium Bertholdum monoculum,cum oculus leuiter ſolum afficeretur. Filiam d. à Bernſtein viginti paroxiſmis Epilepticis,cum antea hos nunquam ſenſiſſet, cito mactauit. parentem vero ſummis cruciatibus confectū numero infelicium curatorum addidit. Ipſe vero egregius medicus cum medicina vniverſali, ne ab opere laudaretur, convaſauit, Cromauiam linquēs in Vngariam profugit. Lepra, quā curaſſe docet ejus Epithaphium, fæda erat ſcabies, vt Palmarius olim objecit. Rurſus ergo concludamus, mi medice, dicamuſque: ſi omnes morbos non curauit, minus præcauit, quomodo audet affirmare, ſe cum ſuo Elixir vires hominis ſeneſcentis

rurſus

rurſus ampliaturum? quod hominis fert exitium, ſenium tardabit, & juuentam reſtituet? inania verba, voces inanes!

Deſin ſi examines, jocunde lector, ſummæ impudentiæ inuenies argumẽtum: pondus vnius, vel trium granorum ſinapi hæc mirifica præſtant exempla. Quod ſi, vt ait Michael Epheſius, minima ſit pars nutrimenti, quod quotidie membris apponitur, nec quinquaginta dierum ſpatio tantum nutrimenti apponatur, quanta eſt vnguis latitudo, quid granũ tincturæ philoſophicæ efficere poſsit, judica. Quantarum virium debet eſſe illud, quod cerebrum ab omni labe tuetur, quod pulmones innocuos ſeruet, firmumq; pectus reddat; quod cor vitæ fontem ſufficienti robore firmet; quod jecur lienemque à ſchirro, quod inteſtina ab obſtructionibus liberet; quod ventriculum, partem maximã noſtri, in vigore & virtute cibos coquendi roboret; quod denique ita totum corpus regat, vt temperamentum æquale ſemper maneat, nec vnquam immutetur. Et hoc præſtat duorum vel trium granorum medicamentum? Ad caput à muco, & proprijs morbis tutandum quantum materiæ requiritur?

ſane pro hoc ſolo vnius drachmæ medic ina non ſuffecerit, vt neque libra decocti. quid pro alijs partibus reſtabit? ô nos plane pluſquam imprudentes, qui his nugis credimus! credamus potius, ſi ſenium tardare velimus, vitæ regimini bene inſtituto, cibo & potu moderati ſimus, animi varios impetus coerceamus, diu ſane viuemus. Ego vero meam ſententiam repeto: medicinam vniuerſalem, neque apud Chymicos, neque apud alios rationales medicos vnquam fuiſſe, neq; hactenus futuram fore, quæ omnes morbos indiſcriminatim curet, quæ ſenium tardet, & juuentam reſtituat. Ceterum chymicos, aut artem chymicam, jocunde lector, non contemno, eorum vero promiſsiones, jactantias, faſtus, deceptiones, nequicquam patior. Vt enim Philo olim ferre non poterat, Epicureos aſpernari molles & delicatas voluptates; ita ferre non poſſum chymicorum fallacias, & aliorum medicorum empiricorum vaniloquentiam.

LIBRI PERORATIO.

QVi orbis terrarum ſitum enarrant, cum extremis tabulis ignotas ſibi partes ſtringunt, aliquando adſcribere ſolent, eſſe illis in

locis

locis littora aquis deſtituta, aut feris obſeſſa, cænoue obſita, aut montes eo ſcythicos, vel mare glaciale pertingere. Cum tabulæ meæ ſcriptionis finem adorno, jocunde lector, idẽ ferme mihi accidere videtur, dum multa prætermitto, quæ dicenda diligẽtiſsime fuerant, ſola autem ea velut jam nota omnibus dixi, dubia vero & difficilia omiſi. Signum meæ negligentiæ, aut inſcitiæ, & oſcitationis. vt recte illi ſimilis videar, qui voces quaſdam rerum inanes auellendo, & partes ſermonum, & fruſta affirmationis & intelligentiam fidemque conciliantis, rationis expertia contrahẽdo librum compoſuit, quaſi forum quoddam, aut tabulam monſtrorum. Et forte ruſticitate & ſcurrilitate atque petulantia magis elatus, quam ille, qui fœnum Socrati edendum obtulit, loco panis, cum nihil hic ſe certo ſcire pronuntiaret: interrogauitque, cur cibum non in aurẽ, ſed in os imponeret. Verum quidem eſt, plura dici potuiſſe, ſed hæc ſufficientia juniori medico videbantur, niſi culices emuletur, qui ſpuma vini & aceto gaudent, bonum & potui aptum vinum auolantes fugiunt. Incipientem practicum multis rebus obruere non licet, ſatis ſit, in neceſ-

neceſſarijs ipſum inſtruxiſſe. Qui vero communia averſantur, & captu majora vellent, ſimiles ſunt canum Æſopi, quæ cum in mari natare quaſdam pelles viderent, conatæ ſunt illud ebibere, priuſq; crepuerunt, quam pelles apprehenderent: etenim hos quoq; doctrina, ſperantes opera ejus ad virtutem & felicitatem perventuros, priuſquam eo accedant, peſſumdat, multo mero amaræ vitioſitatis ante oppletos. Cum itaque hæc legeris, mi medice non agas vt *Sæpia* piſcis, quæ veſicam juxta collum habens plenam humoris atri, vbi deprehenditur, effundit foras, tenebraſque circa ſe efficit mari infecto, vt piſcatoris conſpectum ſubterfugere poſsit. Ita tu, ſi forte nauſeantem humorem atræ maledicentiæ in ſinu foueas, non effunde, ſed pacate & ſubmiſſè diſce. Quod ſi pleraque vt indocta leuiaque faſtidias, tibi cum Iſocrate ſuccinctè reſpódeo: interrogatus ipſe, *cur, cum ad dicendum non ſatis eſſet inſtructus, alios tamen inſtrueret*, reſpondit: *Cotes etiam non habere facultatem ſecandi, habere autem vim acuẽdi.* Et ſi gratiam docendi non habeam, voluntatem tamen habeo inſtruendi & communicandi ea, quæ ab alijs ſana & experta di-

dici.

dici. *Neq; enim*, ait Plutarchus, *fas eſt nobis nutrimentum perdere, vbi affatim nos ſaturati ſumus, neq; fontem obturare, aut occultare, quando aquæ ſatis bibimus, neq; ſigna nauigationis itineriſve abolere, poſtquam ijs vſi ſumus: ſed relinquenda iſta ſunt, vt alijs etiam poſt nos vſui eſſe poſſint. Proinde indecorum etiam eſt, ob avaritiam lumen lucernæ, quando ejus vſum porro nos non deſideramus, extinguere, ſed conſeruandum relinquendumq; eſt, ſi quis forte veniat, cui eo etiamnum ardente & ſplendente ſit opus: quippe ſi fieri quiret, etiam viſum atq; auditum, imo prudentiam quoq; ipſam & fortitudinem alijs vtendam dare debebamus ipſi dormituri, aut quieturi.* Ob hanc ego cauſam has lucubrationes promulgaui, vt aliquo modo rei medicæ ſtudioſis prodeſſem. atque duobus modis prodero. vno, ſi quæ recte dicta ſunt diſcas, altero, ſi quæ male ſcripta relinquas atque hoc eſt ſemper diſcere. Vt autem tibi ſaltem in quoquam ſatisfacerem, & ne fruſtra in his legendis tempus tereres, pro compendio totius mei operis ſententias quaſdam communes addo, quæ ſint, velut medicinæ leges, à quibus ne latum vnguem juniores medici diſcedere auſint. atque ſic te valere jubeo.

Sententiæ

Sententiæ communes, ſeu vniuerſæ medicinæ præcepta.

1 SI quis medicus futurus eſt, corpore & animo ſanus eſto.

2. Diuinarum humanarumq; legum non contemptor, ſed religioſus cultor.

3 Laborioſus, doctus, fidelis, humanus, benignus, in experientijs curioſus, & magis timidus quam temerarius eſto.

4 Fraudem, concupiſcentiam, avaritiamq;, voluptates, ceu peſtes contagioſas, fugito.

5 Quæ ſunt tacenda apud ægros ne promulgato.

6 A conuiuijs frequentioribus abeſto.

7 Nunquam, niſi bene capax, contradicito.

8 Socios in medendo tibi additos non contemnito.

9 Lubens, errore cognito, & ſine contumacia, corrigitor.

10 Actiones omnes, vt viro probo decet, in publico regito.

11 Honeſtum erga diuites, miſericordem erga pauperes te exhibeto.

12 Magiſtris, à quibus doctus es, ne obloquitor.

13 Nemini nocere, ſed omnibus prodeſſe ſtudeto.

14 Cum aliquis curæ tuæ ſe committit, diligentiæ ne parcito.

15. Medica-

15 *Medicamenta pro neceßitate, non pro lucro, præcipito.*

16 *Quam fieri poteſt breues & tutæ curationes ſunto.*

17 *Apud ægros nullius rei, niſi medicationis, curioſus eſto.*

18 *Teſtem pro teſtamento, aut quacunq; alia legatione, nunquam te offerto.*

19 *In morborum difficultatibus aliorum conſilium rogita.*

20 *Medicamenta periculoſa, curas ſuſpectas, omnibus nega.*

21 *Ægros non pro conſuetudine, ſed pro neceſſitate viſito.*

22 *In ægris curandis methodum, quam occæpiſti, niſi errorem cognoſcas, ad finem ſeruato.*

23 *Rigidam obedientiam in morbis difficilibus ægros & aßiſtentes poſcito: tu vero omnia recto ordine, non confuſe, agito.*

24 *Cum prima vice ad ægrum perveneris, non perturbator, ſed rogata & reſponſa diligenter obſeruato.*

25 *Morbo cognito, curandi modum inſtituito.*

26 *Incerta, morbo incognito, medicatione non vtitor; ſed potius vniuerſalibus, quæ ſi nihil agant, ſaltem non noceant, inſiſtito. Et leuiter affectos naturæ, & vitæ regimini committito.*

27 Memineris, non ſemper contrarijs agi oportere: nam calor, inteſiore, frigus quandoq; intenſius requirit, & ſic de ceteris. nec humidū ſemper ſiccari debere, vt neq; ſicca humectari, ſed naturam morbi, qualis conditionis fuerit, prius debere cognoſci. Vnde cauſas morbi omnes cognoſcito, antequam morbus poſſit ſummoueri.

28 Morbus ſimplex ſimplici, compoſitus compoſito remedio opus habet. Evacuando tamen avarior, reficiendo largior eſto.

29 Poſt morbum cognitum, antequam quidquam agas, morbi tempora obſeruato: aliter enim in vnoquoq; tempore agitur.

30 In acutis, qui paroxiſmos non habent, ſtatim ab initio quæ facienda ſunt facito: tēpus enim remiſſionis non datur, quoadvſq; morbus finierit.

31 In his venæ ſectionem purgationi præmittito, ſi cliſmate vti nolis.

32 In vtraq; evacuatione (purgatione & venæ ſectione) ægri vires exacte metitor.

33 In omnibus curis neq; diem, neq; noctem, ſed morbi horas obſerua: nox enim dieſve nihil, ſed morbi tempus aliquid infert.

34 Aſſiſtentium vaniloquijs, contradictionibus, aut jurgijs non vincitor: peſſimo namq; loco erit æger, vbi medicus ſibi non conſtans eſt.

35 *Extrema quidem in extremis morbis tentanda ſunt, ſed quando & quomodo cogita.*

36 *In materiis abundantibus quamprimum & ſufficienter purgato, & morbum vehementem non nimis lenibus exaſperato: lentum vero & mediocrem paulatim tollito diuturnos etiam affectus multo tempore domato.*

37 *Denſis compactiſq; ignobilibus, priuatis & in alto corpore demerſis partibus validiora remedia; raris vero, principibus, acutoq; ſenſu præditis, & quibus eſt publicum officium, mitiora cōparato.*

38 *Remedia in affectis Renibus potẽtiora quam in ventriculo ſunto.*

39 *Poſtquam ad Criſin, ſeu maturationem materiæ devenit morbus, naturam nullo modo impedito; vbi vero ipſa non ſufficit, convenienter juuato.*

40 *Cum in criſi totum negotium curationis conſiſtat, eam diligentiſſime conſyderato: hæc enim ignorata, & non optime obſeruata, æger certo in diſcrimen vitæ adducitur.*

41 *Ratio purgandi corporis talis eſto: Ventriculus, & partes ſuperiores vomitione; Viſcera & mezenterium dejectione; majores venæ miſſione ſanguinis; habitus corporis vniuerſi ſudore, atq; inſenſili tranſpiratione expurgantor.*

42 *Hepatis partem gibbam, Renes, & Veſicam per vrinas, partem vero cauam cum Liene, & mezenterium, pancreas, & inteſtina per alvum; pulmones & pectus per ſputa: ſummas cerebri partes per commiſſuras, anteriores per nares, imas per palatum eluito.*

43 *Ante morborum acceſſiones cliſter quidem dari poteſt, ſed purgationem inſtituere ne tentato: namq; æger pejus haberet, quamvis nonnihil purgaretur.*

44 *Medicamenta intro ſumenda, vel foris admovenda, quæ detergere, extenuare, diſſoluere, digerere, emollire, dilatare vel relaxare debent, forma liquidiore applicato: quæ vero repellere, attrahere, denſare, adſtringere, roborare, incraſſare, infarcire, ſolida: & quæ medio modo agere, media forma.*

45 *Melius eſt, tutiuſque, non ſatis, quam nimium purgare.*

46 *In morbis longioribus, Hydrope, totiusque corporis malo habitu, pluribus vicibus purgato: velle enim omnem materiam peccantem ſtatim & paucis vicibus educere, eſt morbum difficiliorem reddere.*

47 *Velle morbos capitis, partiumque ejus, per purgationes inferiores curare, vanitas eſto.*

48 Cliſmata omni morbo, & ætati poſſe applicari, firmiter credito.

49 In Inteſtinorum malis tuto iſthæc & feliciter iterato.

50 Poſſe cum conſũmatis (vt vocant) per cliſteres reſtitui, vel ſeruari vires, audacter negato.

51 Per nutrices facile infantes purgari, dubita: non enim credibile eſt, lac mammarum hæc medicamenta trahere. alias & venena pappillis poſſent ſugi, ſi à nutricibus haurirentur. Et ſeniculi hoc modo purgarentur, cum purgatu faciles ſint.

52 Laxatiua, ſeu medicamenta leuia, vt eſt Manna, Caßia, decoctum prunorum, omni tempore in grauidis conveniunt: acria vero, vt ſunt Electuaria quæ vehementes pulueres recipiunt, pilulæ itidem ex iſtis pulueribus, minime.

53 Pilulas vſuales, aliaque medicamenta aluum mouentia non nimis frequenter in ſanis ad valetudinem conſeruandam, imperato.

54 Summo frigore, & ſummo calore à purgantibus abſtineto.

55 Obſeruare lunationes, vel alia ſydera in medicamentis dandis, ridiculum eſto. Caniculam autem vitamus non propter ſe, ſed propter ſummum calorem, quod tunc ſumma ſit æſtas.

56 Vomere & dejicere ſimul, ſunt motus contrarij,

trarij, ergo quantum fieri poteſt vitandi.

57 Illam materiam quæ morbi cauſa eſt, & non promiſcuam, evacua.

58 Vbi ſanguis non peccat, non emittito.

59 Omnes Inflammationes, Ereſypelas, Phlegmonodes, ſanguinis miſſionē ſine mora patiuntor.

60 Febres acutæ, ſynochi omnes, tertianæ nothæ, & intermittentes, ſemper venæ ſectionem imperant: Hectica, Icterus, tertiana exquiſita, quartana, rariſſime. In quartanis & Ictero ſane multum peccatur.

61 Curare ſtomachum ex miſſione ſanguinis abſurdum eſt: ſic alui fluxus omnes, malus corporis habitus, Hydrops, venæ ſectionem damnant.

62 In Apoplexia, Lethargo, Comate, Melancholia, mittere ſanguinem, non curare, ſed tentare & experiri eſt.

63 In peſte miſſio ſanguinis raro felicem ſucceſſum ſortitur: plures enim intereunt, quam ſervantur.

64 Variolis & morbillis apparentibus aperire venam peccatum eſt.

65 In Phthiſi, & Atrophia partis cujuſdam, damnoſum eſto.

66 Peripneumonia, Pleuritis, citam ſed non frequentem ſanguinis miſſionem deſiderant.

67 Quæ-

67 *Qualitas ſanguinis, vices & quantitatem temperato.*

68 *Selectum venarum ex diuturna conſuetudine potius, quam ex neceſſitate obſeruato.*

69 *Ergo pro partibus ſupra Septum tranſverſum, & pro Hepate venas brachij, pro inferioribus, pedis, & pro Liene etiam hæmorrhoidales ſeligito.*

70 *Poſt venæ ſectionem comeſtionem ſomnumq; interdicito.*

71 *Ad deliquium vſq; mittere ſanguinem, vtile eſſe, nulla ratio mihi perſuadet.*

72 *Sex ad ſummum, qualiſcunque tandem morbus ſit, miſsiones ſanguinis ſufficientes ſunto.*

73 *Abuſum venæſectionis toties in anno iteratæ corrigito: debilitatem namq; & forte Hydropẽ, ut ſaltem malum habitũ inducit, ait Avicenna.*

74 *Diætam in voracibus pleniorem, in alijs mediocrem injungito.*

75 *Longe à febrium paroxiſmo futuro, & longe declinatione, cibato: ſtatim enim ingerere cibum, acceſſum prolongat, morbumq; exaſperat.*

Hæc ſi ſervaueris, te non trivialem, ſed magnum & excellentem medicum futurum exiſtima.

INDEX.

CAP. I De Neceſsitate medici pag. 5
II De Doctrina medici 9
III De Religione medici 38
IV Vtrum medici debeãt eſſe aſtronomi 56
V Vtrum antiqui medici vel Recentiores melius curent 91
VI De Interrogationibus apud ægros faciendis 110
VII De pulſu tangendo 172
VIII De Vrinis inſpiciendis alijsque excrementis examinandis 133
IX De Prædictionibus 143
X De Cura communi, quæ omni ætati, tempori, regioni, & omni morbo conuenit 156
XI De Cõſultationibus, mortuis examinandis, Atteſtationibus 167
XII De Curis grandioribus, imperãdis cauteriis, Thermis, Acidulis 174
XIII De

XIII De Sanguinis miſsione, Scarificationibus, hirudinibus, ſeu ſanguiſugis 178
CAP. XIV De Morborum Temporibus 191
XV De Occaſione in ægris tractandis 198
XVI Quando Experimenta ſint periculoſa 201
XVII De Erroribus popularibus 204
XVIII De Diæta ægris imperanda 210
XIX De Pueris viſendis 224
XX De Puellis 228
XXI De Viris 235
XXII De Mulieribus 241
XXIII De Senibus 251
XXIV De Vetulis 255
XXV. Vtrum ſenium poſsit tardari, & Iuuentus reſtitui 257
Libri Peroratio 278
Sententiæ communes, ſeu vniuerſæ medicinæ præcepta 282

FINIS.

-n2